DE PANEGYRICIS LATINIS CAPITA QVATTVOR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO KEHDING
MEGALOPOLITANVS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS KOCHII TYPOGRAPHI ACADEMICI
MDCCCXCIX

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine approbata die X mensis decembris a. h. s. XCVIII.

Birtius, praeceptor meus dilectissimus, in libro cui inscripsit ‚Duae satirae politicae Romae veteris' pag. XXXVIII breviter monet Claudianum in carminibus componendis et dilucide consentire atque concordare cum Menandri rhetoris praeceptis et apud eundem poetam vestigia inveniri, quibus illum panegyricos sermonis pedestris et latinos et graecos imitatione expressisse appareat, additque in adnotatione a rectoribus seminarii philologi Marpurgensis anno MDCCCLXXXVI quaestionem publice propositam esse, qua de Claudiano Menandri imitatore accuratius agi jussum est. Huic quaestioni a Georgio Webero, seminarii sodali, opera accommodata est, sed auctor iuvenis, antequam dissertationem ederet, de vita decessit. Quamobrem nos denuo ad hanc quaestionem aggressi carminibus Claudiani cum Menandri praeceptis et panegyricis prosae orationis comparatis in capite altero demonstrare conati sumus, qua ratione Claudianus e Menandro pendeat, in capite tertio, quomodo idem imitatus sit scriptores panegyricorum pedestrium latinos, in capite quarto, quomodo scriptores ejusdem generis graecos. Quam ad rem ipsam priusquam aggrediar, haud inutile erit in capite primo paucis exponere, qua ratione Mamertinus Nazarius Pacatus alii Menandri praeceptis usi orationes composuerint atque exornaverint.

Caput primum.

Panegyricos latinos qui obiter perlegerit multos locos inveniet, in quibus scriptores praeceptis rhetoricis, quae in schola didicerant, usos esse manifestum est. Tamen operae pretium mihi videtur esse accuratius hanc in rem inquirere et singulos panegyricos cum iis comparare quae Menander de panegyricis componendis tradidit. Nam non solum singula praecepta, ut dispositionem, figuras rhetoricas, captationem benevolentiae, observaverunt, sed multas sententias totosque locos e rhetoricis desumptos suis libris intexuerunt. Cum Menandro autem, quem viri docti tertio assignant saeculo, panegyricos contulimus, quia hujus rhetoris praecepta sola fere exstant, etsi dubitari non potest, quin alii rhetores ante eum similia de hac re docuerint. Det igitur mihi comparationis exordium Claudii Mamertini panegyricus Maximiano Augusto dictus.

Ac primum quidem de prooemiis Menander (ed. Speng.) cum alia tum haec praecipit (pag. 368): *ὅτι δύο τὰ μέγιστα τῶν ὑπαρχόντων ἐν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων ἐστὶν εὐσέβεια περὶ τὸ θεῖον καὶ τιμὴ περὶ τὸν βασιλέὰ, ἃ προσήκει καὶ θαυμάζειν καὶ ὑμνεῖν κατὰ δύναμιν.* Similem sententiam apud Mamertinum in capite altero (ed. Baehr.) invenimus, ubi haec scripta sunt: ‚Quare si nunc Romae omnes magistratus et pontifices et sacerdotes juxta parentes urbis et statores deos Herculis templa venerantur —: quanto tandem studio nos hic convenit — quidquid spiritus et vocis habeamus, omne id in laudibus tuis non occupare modo, sed, si res poscat, absumere?'

Aliud praeceptum Menandri est hoc (p. 369): *ἡ τρίτη δὲ τοῦ προοιμίου ἔννοια — προκαταρκτικὴ γενέσθω τῶν κεφαλαίων, λοιπὸν ὡς δεαποροῦντος τοῦ λέγοντος, ὅθεν χρὴ τὴν ἀρχὴν τῶν ἐγκωμίων ποιήσασθαι.* Hoc praeceptum observatum videmus in eodem capite inde a verbis: ‚unde igitur ordiar?' usque ad finem capitis.

Praeterea in hoc capite hi loci cum Menandro consentiunt: ‚Commemorabo nimirum patriae tuae in rem publicam merita? Quis enim dubitat, quin multis jam saeculis, ex quo vires illius ad Romanum nomen accesserint, Italia quidem sit gentium domina gloriae vetustate, sed Pannonia virtute?' Men. p. 369: *μετὰ τὰ προοίμια ἐπὶ τὴν πατρίδα ἥξεις.*

‚An divinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris?' Men. p. 370: *θεωρήσεις δὲ πάλιν, πότερον ἔνδοξον αὐτοῦ τὸ γένος ἢ οὔ·*

‚An quemadmodum educatus institutusque sis praedicabo in illo limite, illa fortissimarum sede legionum, inter discursus strenuae juventutis et armorum sonitus tuis vagitibus obstrepentes?' Men. p. 371: *ἑξῆς δὲ κεφάλαιόν ἐστιν ἡ ἀνατροφὴ* et mox *ζητήσεις τὴν παιδείαν.*

‚An tuas res gestas enumerare conabor — et litus oceani?' Men. p. 372: *Ἀκολουθεῖ τοίνυν τοῖς ἐπιτηδεύμασι λοιπὸν ὁ περὶ τῶν πράξεων λόγος.*

‚Sed qui velit omnia ista complecti, saecula sibi optare debet et innumerabiles annos et quantam tu mereris aetatem.' Men. p. 368: *Λέγεται δὲ τὰ προοίμια τοῦ λόγου καὶ ἐκ παραδειγμάτων ἀορίστων ἀπίστως αὐξήσεις.*

Videmus igitur Mamertinum in hoc capite ne unam quidem propriam sententiam addidisse, sed totum e Menandro pendere. Neque minus in sequentibus capitibus (4—12) Menandrum secutus est. Laudibus enim effert res gestas Maximiani, de quibus rhetor haec praecipit (p. 372): *Τὰς τοιαύτας τοίνυν διαιρήσεις πράξεις δίχα, εἴς τε τὰ κατ' εἰρήνην καὶ τὰ κατὰ πόλεμον.* Celebrat quidem Mamertinus in hoc panegyrico solas res in bello gestas, tamen eum in insequenti panegyrico genethliaco imprimis res in pace gestas narrare videbimus.

Praeter hanc dispositionis partem Mamertinus etiam his duobus praeceptis Menandri usus est pag. 372: *δεῖ γὰρ τὰς*

τῆς ἀνδρείας πράξεις πρώτας λαμβάνειν ἐπὶ τῶν τοιούτων ὑποθέσεων εἰς ἐξέτασιν· γνωρίζει γὰρ βασιλέα πλέον ἡ ἀνδρεία in capite quinto, ubi haec leguntur: ‚Quid enim opus erat multitudine, cum ipse pugnares, ipse omnibus locis totaque acie dimicares’ eqs. et *Τίθει δὲ καὶ σύγκρισιν ἐφ ἑκάστῳ τῶν κεφαλαίων τούτων, ἀεὶ συγκρίνων φύσιν φύσει καὶ ἀνατροφὴν ἀνατροφῇ καὶ παιδείαν παιδείᾳ, καὶ τοιαῦτα ἀνευρὼν τὰ παραδείγματα, ἐὰν Ῥωμαίων ῇ ἢ βασιλέων τις καὶ στρατηγῶν καὶ Ἑλλήνων ἐνδοξοτάτων* et p. 376: *ἥξεις δὲ ἐπὶ τὴν τελειοτάτην σύγκρισιν, ἀντεξετάζων τὴν αὐτοῦ βασιλείαν πρὸς τὰς πρὸ αὐτοῦ βασιλείας* in capite decimo, ubi haec scripta videmus: ‚Et tamen vides, imperator, non invenire me ex omni antiquitate quod comparem vobis, nisi Herculeae gentis exemplum. Nam ille quidem magnus Alexander jam mihi humilis videtur Indo regi sua regna reddendo, cum tam multi reges, imperator, vestri clientes sint, cum per te regnum receperit Gennoboudes a teque cominus acceperit’ et in capite XIII, quod incipit ab his verbis: ‚Felix igitur talibus, Roma, principibus — felix, inquam, et multo nunc felicior quam sub Remo et Romulo tuis.’

Jam ad alterum Mamertini panegyricum genethliacum Maximiano Augusto dictum transeamus. Cujus in exordio aeque atque in priore panegyrico sententias e Menandro desumpsit. Dicit enim hic (p. 368): *ὅτι ἄτοπόν ἐστι τοσούτων ἀγαθῶν παρὰ βασιλέων πειρωμένους μὴ τὸν πρέποντα καὶ ὀφειλόμενον αὐτοῖς ἔρανον ἀποδιδόναι.* Quocum conferas velim haec verba Mamertini in capite primo: ‚Omnes quidem homines, sacratissime imperator, qui majestati vestrae laudes canunt et gratias agunt, debitum vobis conantur exsolvere (quis enim est, qui possit implere?), sentio tamen a me praecipue hoc piae vocis officium jure quodam sacrosancti fenoris postulari, ut exspectationem sermonis ejus quem tuis quinquennalibus praeparaveram hac gemini natalis praedicatione compensem et dicendi munus quod tunc voti promissione susceperam nunc religione debiti repraesentem.’ Item in

altero capite cum Menandro non dissentit. Celebrat enim diem natalem imperatoris hoc praeceptum secutus (pag. 412): *μετὰ τὸ προοίμιον τὴν ἡμέραν ἐπαινέσεις, καθ' ἣν ἐτέχθη ὁ ἐπαινούμενος.* Neque minus haec Menandro auctore scripta sunt (c. 2): ‚siquidem vos dis esse genitos et nominibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus approbatis' eqs. Invenimus enim apud Menandrum hunc locum (pag. 370): *πολλοὶ τῷ μὲν δοκεῖν ἐξ ἀνθρώπων εἰσί, τῇ δὲ ἀληθείᾳ παρα τοῦ θεοῦ πέμπονται καί εἰσιν ἀπόρροιαι ὄντως τοῦ κρείττονος. καὶ γὰρ Ἡρακλῆς ἐνομίζετο μὲν Ἀμφιτρύωνος, τῇ δ' ἀληθείᾳ ἦν Διός· οὕτω καὶ βασιλεὺς ὁ ἡμέτερος τῇ μὲν δόξῃ ἐξ ἀνθρώπων, τῇ δ' ἀληθείᾳ τὴν καταβολὴν οὐρανόθεν ἔχει.* Addit scriptor in fine capitis III — Menander rursus auctor est — brevem laudem patriae hisce verbis: ‚Non enim in otiosa aliqua deliciisque corrupta parte terrarum nati institutique estis, sed in his provinciis, quas ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiae fracto licet oppositus hosti, sed armis tamen semper instructus miles exercet, in quibus omnis vita militia est, quarum etiam feminae ceterarum gentium viris fortiores sunt.'

Nunc ad maximam partem orationis, quae continetur capitibus 5—18, venimus, in qua agitur de rebus in pace gestis. Jam supra antecedentem panegyricum hoc altero tanquam compleri dixeramus, quare Mamertinus res in bello gestas in hoc non nisi perstrinxit figura usus praeteritionis. Servavit igitur legem Menandri quae est de rebus gestis dividendis. Sed non solum in dispositione a Menandro pendet, sed etiam in singulis rebus praecepta ejus secutus est. Sunt vero hi loci, qui inter se mea quidem sententia congruunt. Men. (pag. 372): *Χρὴ δὲ γινώσκειν καὶ φυλάττειν τό παράγγελμα, ὅτι, ὅταν μέλλῃς ἀπὸ κεφαλαίου μεταβαίνειν εἰς κεφάλαιον, δεῖ προοιμιάζεσθαι περὶ οὗ μέλλεις ἐγχειρεῖν, ἵνα προσεκτικὸν τὸν ἀκροατὴν ἐργάσῃ καὶ μὴ ἐᾷς λανθάνειν μηδὲ κλέπτεσθαι τῶν κεφαλαίων τὴν ζήτησιν.* Mamertinus (c. V et VI): ‚Novam mihi propono dicendi legem, ut cum omnia videar silere quae

summa sint, ostendam tamen inesse laudibus vestris alia majora. Quae igitur illa sunt? pietas vestra, sacratissime imperator, atque felicitas.'

Men. (pag. 377): *εὐσέβεια δὲ ἡ περὶ τὸ θεῖον ηὔξηται.* Mam. (c. 6): ‚Nam primum omnium, quanta vestra est erga deos pietas? Quos aris simulacris, templis donariis, vestris denique nominibus ascriptis, adjunctis imaginibus ornastis sanctioresque fecistis exemplo vestrae venerationis.'

Men. pag. 372: *τίθει δὲ καὶ σύγκρισιν ἐφ' ἑκάστῳ τῶν κεφαλαίων τούτων — καὶ τοιαῦτα ἀνευρὼν τὰ παραδείγματα, ἐὰν Ῥωμαίων ᾖ ἢ βασιλέων τις καὶ στρατηγῶν καὶ Ἑλλήνων ἐνδοξοτάτων.* Hoc praecepto Mamertinus dilucide usus est in fine capitis IX et in toto capite X, in quibus Hannibalis transitus Alpium cum itineribus Maximiani et Diocletiani comparatur.

Men. pag. 377: *ὄμβροι γὰρ κατὰ καιρὸν καὶ θαλάσσης φοραὶ καὶ καρπῶν εὐφορίαι διὰ τὴν τοῦ βασιλέως δικαιοσύνην ἡμῖν εὐτυχοῦνται.* Mam. c. XV: ‚Adhuc potes dicere de salubritate temporum et fertilitate terrarum' usque ad finem capitis.

Nunc verba nobis facienda sunt, quomodo Incertus in panegyrico Constantio Caesari dicto componendo (V.) Menandri vestigia secutus sit. Confitendum autem nobis est eum minus quam Mamertinum e Menandri praeceptis pendere, cum maxima pars orationis deditione Britanniae celebranda consumatur. Tamen hos locos inter se consentientes mihi invenisse videor.

Men. p. 412: *εἰ δὲ μηδὲν ἔχοις εἰπεῖν τοιοῦτον, ἐπαινέσεις τὴν ἡμέραν ἀπὸ καιροῦ, ὅτι θέρους ὄντος ἐτέχθη, ὅτι ἔαρος ἢ χειμῶνος ἢ μετοπώρου, εἰ οὕτω τύχοι, καὶ ἐρεῖς τοῦ καιροῦ τὰ ἐξαίρετα.* Hoc praeceptum de die natali datum incertus scriptor c. III in eum diem transtulit, quo regnare imperatores coeperant.

Men. p. 372: *τίθει δὲ καὶ σύγκρισιν ἐφ' ἑκάστῳ τῶν κεφαλαίων τούτων* eqs. Inc. c. VII: ‚Xerxes, ut audio, Persarum

rex potentissimus, pedicas jecit aureas in profundum, Neptunum se dictitans alligare, quia fluctibus ferociret: stulta ille jactantia et sacrilega vanitate' et in initio capitis XIV: ‚Hoc loco venit in mentem mihi quam delicata illorum principum fuerit in administranda republica et adipiscenda laude felicitas, quibus Romae degentibus triumphi et cognomina devictarum a ducibus suis gentium proveniebant' eqs.

Men. p. 373: *διαγράψεις δὲ ἐν ταῖς πράξεσι ταῖς τοῦ πολέμου καὶ φύσεις καὶ θέσεις χωρίων, ἐν οἷς οἱ πόλεμοι.* Quocum conferas caput VIII.

Men. pag. 377: *οὐ δεδοίκαμεν βαρβάρους, οὐ πολεμίους.* Hoc pluribus exponitur in capite XX.

Alia Menandri praecepta sibi servanda putavit is qui panegyricum Constantino Augusto dictum scripsit. Nam in capitibus II, V, VI, VII patrem Constantini, Constantium, laudibus summis decorat hoc secutus praeceptum: *θεωρήσεις δὲ πάλιν, πότερον ἔνδοξον αὐτοῦ τὸ γένος ἢ οὔ· κἂν μὲν ἔνδοξον ᾖ, ἐξεργάσῃ τὰ περὶ τούτου.* Quid? si in capite altero haec verba legimus: ‚Inter omnes, inquam, participes majestatis tuae hoc habes, Constantine, praecipuum quod imperator ortus es' et mox ‚imperium nascendo meruisti,' nonne evidenter e Menandro pendet qui dicit (pag. 371): *ἑξῆς δὲ κεφάλαιόν ἐστιν ἡ ἀνατροφή, εἰ ἐν βασιλείοις ἀνετράφη, εἰ ἁλουργίδες τὰ σπάργανα, εἰ ἐκ πρώτης βλάστης ἐν βασιλικοῖς ἀνετράφη κόλποις.* Non igitur mirum, si etiam haec e Menandro deprompsit. Men. (pag. 374): *μετὰ τὸ τέλος τῶν πράξεων ἢ καὶ πρὸς τῷ τέλει τῶν πράξεων ἐρεῖς τι καὶ περὶ τρίτης ἀρετῆς, λέγω δὴ τῆς φιλανθρωπίας.* Constantii, patris Constantini, misericordia praedicatur in capite sexto, ipsius Constantini clementia per totum caput vicesimum. Men. (pag. 370): *πολλοὶ τῷ μὲν δοκεῖν ἐξ ἀνθρώπων εἰσί, τῇ δ' ἀληθείᾳ π α ρ ὰ τ ο ῦ θ ε ο ῦ π έ μ π ο ν τ α ι.* Inc. cap. IX: ‚et inde propius a d i s m i t t i t u r imperator, ubi terra finitur.'

Praeterea praeceptum de comparatione datum adhibuit scriptor in capite XIII, ubi haec scripta sunt: ‚Iunxerit licet

quondam Hellesponti angustias classe conexa Persarum rex potentissimus: temporarius ille transitus fuit. Simili navium continuatione Bajanum sinum straverit ab Augusto tertius Caesar: delicata fuit illa vectatio principis otiosi' et in capite XIX, in quo Caesaris oppugnatio cum Constantini oppugnatione contenditur. Accedit quod in eodem capite secundum praeceptum situm Massiliae describit.

In panegyrico Constantino Augusto dicto (IX), quamquam solae res bello gestae praedicantur, tamen hos locos e Menandri praeceptis imitatione expressos inveni. *Συγκρίσεις* reperiuntur in capitibus IV, V, VI, X, XV, XXIV, XXV, *ἡ ἀνδρεία* imperatoris laudibus effertur in capite IX, item *ἡ φιλανθρωπία* in capite XI. Praeterea hi duo loci congruunt: Men. p. 374: *μετὰ δὲ τὴν ἄνεσιν ἐπάξεις πάλιν καὶ ἄλλα κατορθώματα, καὶ τρόπαια τροπαίοις συνάψεις καὶ νίκας νίκαις, ἱππέων φυγὰς, πεζῶν φόνους.* Inc. cap. XXII: ‚tu, Constantine, solus infatigabilis bellis bella continuas, victorias victoriis cumulas.' Men. pag. 377: *τίνας οὖν εὐχὰς εὔχεσθαι δεῖ τῷ κρείττονι τὰς πόλεις ἢ ὑπὲρ βασιλέως ἀεί; τί δὲ μεῖζον αἰτεῖν παρὰ τῶν θεῶν ἢ βασιλέα σώζεσθαι;* Inc. cap. XXVI: ‚te, inquam, oramus et quaesumus, ut hunc in omnia saecula principem serves.'

Nunc ad Nazarii panegyricum Constantino Augusto dictum venimus, qui ut major est quam ii quos tractavimus, ita uberiorem copiam habet ad illustrandam Menandri imitationem. Quae jam dispositione ipsa exstat atque eminet. Nam in praefatione Nazarius fusius dicit laudes et res gestas Constantini majores esse quam quae oratione exprimi possint. Deinde in capitibus 6—32 res bello gestas celebrat et in capitibus 33—37 res in pace gestas. Epilogus denique continetur capite 38, in quo haec scripta sunt: ‚Jacet in latere Galliarum ut in sinu tuo fusa barbaria; Persae ipsi, potens natio et post Romanam magnitudinem in terris secunda, amicitiam tuam, Constantine maxime, non minus trepide quam amabiliter petiverunt. Nulla in terris tam ferox natio est,

quae te non metuat aut diligat. Omnia foris placida, domi prospera, annonae ubertas, fructuum copia. Exornatae mirandum in modum ac prope de integro conditae civitates. Novae leges regendis moribus et frangendis vitiis constitutae. Veterum calumniosae ambages recisae captandae simplicitatis laqueos perdiderunt. Pudor tutus, munita conjugia.'

Qua cum dispositione conferas velim hanc Menandri dispositionem (pag. 368): *λήψῃ τοίνυν ἐν τούτῳ τὰ προοίμια δηλονότι ἀπὸ τῆς αὐξήσεως, μέγεθος περιτιθεὶς τῇ ὑποθέσει, ὅτι δυσέφικτος, καὶ ὅτι καθῆκας ἑαυτὸν εἰς ἀγῶνα οὐ ῥᾴδιον κατορθωθῆναι λόγῳ.* pag. 372: *τὰς τοιαύτας τοίνυν διαιρήσεις πράξεις δίχα εἴς τε τὰ κατ' εἰρήνην καὶ τὰ κατὰ πόλεμον.* pag. 377: *μετὰ τὴν σύγκρισιν οἱ ἐπίλογοι. ἐν τούτοις ἐρεῖς τὰς εὐετηρίας, τὰς εὐδαιμονίας τῶν πόλεων* et mox *οὐ δεδοίκαμεν βαρβάρους, οὐ πολεμίους* et ex antecedentibus: *ἐρεῖς τι καὶ περὶ νομοθεσίας, ὅτι νομοθετεῖ τὰ δίκαια, καὶ τοὺς μὲν ἀδίκους τῶν νόμων διαγράφει, δικαίους δὲ αὐτὸς θεσπίζει.*

Cum igitur Nazarium cum in tota dispositione tum in peroratione e Menandro pendere videamus, quid mirum, si etiam multis aliis locis vestigia rhetoris invenimus? Sunt vero hi loci: Men. p. 374: *μετὰ τὸ τέλος τῶν πράξεων ἢ καὶ πρὸς τῷ τέλει τῶν πράξεων ἐρεῖς τι καὶ περὶ τρίτης ἀρετῆς, λέγω δὴ τῆς φιλανθρωπίας.* Naz. cap. VIII: ‚O tuam, imperator, non victoriam magis quam clementiam praedicandam! gravate aput animum tuum etiam mali pereunt. invitus pugnasti, qui tam facile vincebas.'

Men. pag. 376: *εἶτα ὀξὺς ἰδεῖν, ἐνθυμηθῆναι δεινός, προϊδέσθαι τὸ μέλλον κρείττων μάντεως.* Naz. cap. XI: ‚Quis enim ad praesentiendum sagacior? quis vigilantior ad vitandum? quis contemplatur praesentia acrius, ventura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius?'

Men. pag. 373: *καὶ μὴν καὶ πεζομαχίας ἐκφράσεις καὶ ἱππέων διασκευάσεις ἱππομαχίας καὶ ὅλον στρατοπέδου πρὸς ὅλον στρατόπεδον μάχην.* Naz. cap. 22—24.

Men. pag. 374: *διαγράψεις δὲ καὶ πανοπλίαν βασιλέως καὶ ἐπιστρατείας.* Naz. cap. XXIX.

Men. pag. 374: *καὶ ὅτι ἐστενοχωρεῖτο* (sc. *χώρα*) *τοῖς τῶν πεσόντων σώμασιν* eqs. Naz. cap. XXX: ‚Non commemorabo hic tectas continuis stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim et inter congestas alte cadaverum moles aegro nisu ac vix eluctantibus gurgitibus exeuntem.'

Men. pag. 376: *τί οὖν ἐνταῦθα ἐρεῖς; ὅτι διὰ βασιλέα σώφρονες μὲν οἱ γάμοι.* Naz. cap. 34: ‚Jam illa vix audeo de tanto principe commemorare, quod nullam matronarum, cui forma emendatior fuerit, boni sui piguit, cum sub abstinentissimo imperatore species luculenta non incitatrix licentiae esset, sed pudoris hortatrix.'

Men. pag. 375: *καὶ ἐν μὲν τῇ δικαιοσύνῃ τὸ ἥμερον τὸ πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἐπαινέσεις, τῆς δὲ πρὸς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίας τὸ εὐπρόσοδον.* Naz. cap. 34: ‚Quid? faciles aditus, quid? aures patientissimas, quid? benigna responsa, quid? vultum ipsum augusti decoris gravitate, hilaritate admixta, venerandum quiddam et amabile renitentem, quis digne exsequi possit?'

Men. pag. 376: *θέαι δὲ καὶ ἀγῶνες καὶ πανηγύρεις μετὰ τοῦ προσήκοντος κόσμου καὶ τῆς πρεπούσης σωφροσύνης γίνονται.* Naz. cap. 35: ‚circo ipsi maximo sublimes porticus et rutilantes auro columnae tantum inusitati ornatus dederunt ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia quam spectaculi voluptate.'

Συγκρίσεις denique inveniuntur in capitibus XI, XV, XVI.

Neque minus Cl. Mamertinus primam partem orationis, qua Juliano imperatori de consulatu suo gratias egit, secundum Menandri praecepta composuit. Ne longus sim, in praefatione (c. I et II) hanc sententiam Menandri (p. 368): *ὅτι ἄτοπόν ἐστι τοσούτων ἀγαθῶν παρὰ βασιλέων πειρωμένους μὴ τὸν πρέποντα καὶ ὀφειλόμενον αὐτοῖς ἔρανον ἀποδιδόναι* latius prosecutus est. Tum in cap. 3—7 breviter enarrat, quae Julianus foris et in cap. 8—14, quae domi pro republica gessit.

Praeterea in singulis rebus describendis has sententias e Menandro deprompsit.

Men. pag. 376: *θέαι δὲ καὶ ἀγῶνες και πανηγύρεις μετὰ τοῦ προσήκοντος κόσμου καὶ τῆς πρεπούσης σωφροσύνης γίνονται* et p. 377: *πλήρεις δε ἑορτῶν καὶ πανηγύρεων αἱ πόλεις.* Mamert. cap. IX: ‚Sed universas urbes ope imperatoris refotas enumerare perlongum est: scire satis est cunctas Macedoniae, Illyrici, Peloponnesi civitates unis aut binis epistulis maximi imperatoris repentinam induisse novatis moenibus juventatem, aquas locis omnibus scatere, quae paulo ante arida et siti anhelantia visebantur, ea nunc perlui, inundari, madere, fora deambulacra gymnasia laetis et gaudentibus populis frequentari, dies festos et celebrari veteres et novos in honorem principis consecrari.'

Men. pag. 376: *ἥξεις δὲ ἐπὶ τὴν τελειοτάτην σύγκρισιν, ἀντεξετάζων τὴν αὐτοῦ βασιλείαν πρὸς τὰς πρὸ αὐτοῦ βασιλείας.* Mam. cap. X et XI.

Men. pag. 376: *ὅτι διὰ βασιλέα σώφρονες μὲν οἱ γάμοι.* Mam. cap. XIII — ‚toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur, sit lectulus etiam sine concessis et legitimis voluptatibus Vestalium toris purior.'

Men. pag. 375: *καὶ ἐρεῖς, ὅτι δικαίους ἄρχοντας κατὰ ἔθνη καὶ γένη καὶ πόλεις ἐκπέμπει.* Mam. c. XXV — ‚regendis provinciis non familiarissimum quemque, sed innocentissimum legis.'

Comparationes adhibuit in cap. XVI, XIX, XX, XXX.

Restat, ut disseramus, quomodo Pacatus in panegyrico Theodosii Augusti componendo Menandri praecepta servaverit. Ac primum quidem in praefatione hanc Menandri sententiam: *λήψῃ τοίνυν ἐν τούτῳ τὰ προοίμια δηλονότι ἀπὸ τῆς αὐξήσεως, μέγεθος περιτιθεὶς τῇ ὑποθέσει, ὅτι δυσέφικτος, καὶ ὅτι καθῆκας ἑαυτὸν εἰς ἀγῶνα οὐ ῥᾴδιον κατορθωθῆναι λόγῳ* pluribus verbis explicuit. Deinde in capite IV patriam et in capite V patrem Theodosii celebrat haec praecepta secutus: *μετὰ τὰ προοίμια ἐπὶ τὴν πατρίδα ἥξεις* et

θεωρήσεις δὲ πάλιν, πότερον ἔνδοξον αὐτοῦ τὸ γένος ἢ οὔ. Tum in cap. XIII—XXI enarrat, quae Theodosius in bello et in cap. XXII—XLVI, quae in pace pro republica gessit, qua in re eum cum Menandro facere non est quod iterum moneam. Neque tamen in his generalibus praeceptis acquievit, sed etiam in singulis rebus exponendis rhetoris vestigia mirum quantum pressit. Nam in uno capite quarto hos locos e Menandro imitatione expressos invenimus.

Men. p. 344: *Ἔπαινος μὲν χώρας, ὡς ἀνωτάτω διελέσθαι, διττός, ἢ κατὰ φύσιν ἢ κατὰ θέσιν.* Pacatus cap. IV *θέσιν* describit Hispaniae inde a verbis ‚quae nec austrinis obnoxia aestibus' usque ad verba ‚velut alter orbis includitur' et *φύσιν* a verbis ‚adde tot egregias civitates' usque ad finem capitis. Men. l. l.: *θέσιν τοίνυν χώρας δοκιμάζομέν τε καὶ κρίνομεν, ὅπως κεῖται πρὸς γῆν ἢ πρὸς θάλατταν ἢ πρὸς οὐρανόν· πρὸς μὲν γῆν, εἰ μεσόγειος εἴη καὶ πλέον ἢ ἔλαττον θαλάττης ἀπέχουσα, ἢ ἐπιθαλαττίδιος καὶ πρὸς αἰγιαλούς.* Pac. l. l.: ‚quae hinc Pyrenaei montibus, illinc Oceani aestibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata naturae sollertis ingenio velut alter orbis includitur.' Men. l. l.: *πρὸς δὲ οὐρανόν, εἰ ἐν δυσμαῖς ἢ ἐν ἀνατολαῖς ἢ ἐν μεσημβρίᾳ ἢ ἐν ἄρκτῳ ἢ ἐν τῷ μέσῳ τούτων.* Pac. l. l.: ‚quae nec austrinis obnoxia aestibus nec arctois subjecta frigoribus media fovetur axis utriusque temperie.' Men. l. l.: *τὴν δὲ φύσιν τῆς χώρας δοκιμάζομεν πάσης ἐκ τῶν ἓξ τόπων τούτων, ἢ γὰρ ὀρεινή τίς ἐστιν ἢ πεδινὴ ἢ ξηρὰ καὶ ἄνυδρος ἢ λιπαρὰ καὶ εὔυδρος καὶ εὔφορος καὶ ἢ πολύφορος ἢ ἄφορος καὶ δύσφορος.* Pac.: ‚Adde tot egregias civitates, adde culta incultaque omnia vel fructibus plena vel gregibus, auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum.'

Neque minus in capite quinto rhetorem agnoscimus, ubi haec scripta videmus: ‚sed quid faciam? novam quandam patior ex copia difficultatem, quid, inquam faciam? quae Rhenus aut Vahalis vidit aggrediar? Jam se mihi Sarmatica caede sanguineus Hister obiciet. Attritam pedestribus

proeliis Britanniam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur. Redactum ad paludes suas Scotum loquar? compulsus in solitudines avias omnis Alamannus et uterque Maurus occurrent. Cum igitur impediat turba dilectum, ad hoc tanti viri gesta praestet in summam referre quam enumerando tenuare: dixisse sufficiat unum illum divinitus exstitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent, quae singulae in hominibus praedicantur.' Nam illas quaestiones rhetoris esse uno verbo monuisse sufficit; in postremo autem enuntiato hoc Menandri paucis repetitum mihi videtur (pag. 380): *ὅσοι μὲν οὖν γεγόνασιν ἄρχοντες καὶ παρ' ἡμῖν καὶ παρ' ἑτέροις, ἢ τῷ γένει μόνῳ συμνύνεσθαι ἔδοξαν ἢ φρόνησιν προὐβάλλοντο ἢ τῶν ἄλλων μίαν ἀρετῶν· οὗτος δὲ ὅτι τῷ γένει πάντων κρείττων ἐστί, καθάπερ καὶ ὁ ἥλιος τῶν ἀστέρων δέδεικται, μετὰ μικρὸν δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς ἀρεταῖς θαυμασθήσεται, κρείττων μὲν ἐν δικαιοσύνῃ τῶν ἐπὶ δικαιοσύνῃ φρονούντων ὀφθείς, κρείττων δὲ ἐν ἀνδρείᾳ καὶ κρείττων δὲ ἐν σωφροσύνῃ.*

Quae cum ita sint, Pacatum in sequentibus etiam haec Menandri praecepta sibi servanda putasse non habemus quod miremur.

Men. p. 375: *καὶ ἐν μὲν τῇ δικαιοσύνῃ τὸ ἥμερον τὸ πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἐπαινέσεις, τῆς δὲ πρὸς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίας τὸ εὐπρόσοδον.* Pac. c. 21: ‚Velut primum illud est (ne statim summa capiamus) quod creber egressu expectantibus populis te fateris nec videri modo patiens, sed facilis adiri e proximo accipis vota hominum tuorum —.'

Men. pag. 373: *καὶ μὴν καὶ πεζομαχίας ἐκφράσεις καὶ ἱππέων διασκευάσεις ἱππομαχίας καὶ ὅλον στρατοπέδον πρὸς ὅλον στρατόπεδον μάχην.* Tales pugnarum descriptiones invenimus in cap. 34, in capitibus 35 et 36. Quibus in descriptionibus non omisit hoc Menandri: *ὅτι ἐστενοχωρεῖτο τοῖς τῶν πεσόντων σώμασιν* orationi intexere. Legimus enim in capite 34 haec verba: ‚spumat decolor cruore fluvius et cunctantes meatus vix eructatis cadaveribus evolvit —.' Deinde in cap. 40—42 fortunae Theodosii mentionem facit

auctore Menandro qui dicit p. 376: *μνημονεύσεις δὲ μετὰ τοῦτο τῆς τύχης λέγων ὅτι συμπαρομαρτεῖν δὲ ἔοικεν ἐφ' ἅπασι καὶ πράξεσι καὶ λόγοις τῷ βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ τύχη λαμπρά· κατορθοῖ γὰρ ἕκαστον κρεῖττον εὐχῆς.* Quocum conferas haec Pacati verba: ‚nam etsi per te confeceris quae volebas, per fortunam tamen plus adeptus es quam volebas.' Tum *ἡ φιλανθρωπία* praedicatur in cap. 44 et 45, in quibus dicit: ‚clementia tua, imperator, quo caelo, quo pigmento, quo aere aurove ducetur?' *Συγκρίσεις* denique inveniuntur in capitibus 2, 8, 9, 14, 17, 21, 31, 33, 46.

Caput alterum.

Quomodo Claudianus in panegyricis et epithalamiis componendis Menandrum rhetorem secutus sit.

In primo capite panegyricos prosae orationis secundum rhetorum praecepta conscriptos esse demonstrare conati sumus. Nunc idem de Claudiani carminibus in capite altero probare nobis propositum est. Mirari autem nos non oportet Claudianum, quippe qui magnus poeta habeatur, rhetoris praecepta secutum esse, cum idem poetico sermone tractaret quod prosa oratione Plinius, Nazarius, Pacatus. Accedit quod panegyricum in Messalam et eum, qui in Pisonem conscriptus est, ad rhetorum artificia compositos esse primo apparet obtutu. Quin etiam Ovidium et Statium, poetas summi ingenii, rhetorica praecepta sequi non dubitasse constat.

Sed jam singulos panegyricos Claudiani cum Menandri praeceptis comparemus, qua in re initium capiamus a panegyrico Olybrio et Probino consulibus dicto.

Ac primum quidem Claudianum in panegyricorum praefationibus nunquam — in epithalamiis aliter rem se habere videbimus — sententias e Menandro desumpsisse monendum est. Sic etiam ejus panegyrici, quem nunc tractamus, versus 1—7 ipsius poetae ingenio debentur. Sed jam versus 8—60,

in quibus poeta gentem Olybrii et Probini celebrat, ad hoc Menandri spectant (pag. 370): *θεωρήσεις δὲ πάλιν, πότερον ἔνδοξον αὐτοῦ τὸ γένος ἢ οὔ.* Qua in laude gentis etiam hoc praeceptum: *ὡς διαποροῦντος τοῦ λέγοντος, ὅθεν χρὴ τὴν ἀρχὴν τῶν ἐγκωμίων ποιήσασθαι* adhibuit vv. 29/30:

Quem prius adgrediar? Veteris quis facta Probini
Nesciat aut nimias laudes ignoret Olybri?

Neque minus in oratione Romae deae hi loci inter se consentiunt. Men. (pag. 370): *ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα περὶ τοῦ γένους ἀφοσιωσάμενος πάλιν ζήτει τὰ περὶ γενέσεως αὐτοῦ τοῦ βασιλέως.* Cl. vv. 142—146:

Sunt mihi pubentes alto de semine fratres,
Pignora cara Probi, festa quos luce creatos
Ipsa meo fovi gremio. Cunabula parvis
Ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum
Solveret et magnos proferrent sidera partus.

Men. pag. 371: *κἂν μὲν ἐν λόγοις ᾖ καὶ φιλοσοφίᾳ καὶ λόγων γνώσει, τοῦτο ἐπαινέσεις·*

Claud. vv. 150/51:

Pieriis pollent studiis multoque redundant
Eloquio.

Men. pag. 372: *ὅτι δίκαιος ἐγένετο ἢ σώφρων ἐν τῇ νεότητι.*

Claud. vv. 154/55:

Sed gravibus curis animum sortita senilem
Ignea longaevo frenatur corde iuventus.

Item in oratione Tiberini versus 246:

Navita tranquillo moderabitur aequore pinum

cum his Menandri verbis congruit: *πλεῖται ἡ θάλασσα ἀκινδύνως.* Sed ut omnino Romam et Tiberinum in hoc carmine loquentes faceret, fortasse commotus est hoc praecepto (pag. 374): *ἐνταῦθα καιρὸν ἕξεις καὶ ἀνεῖναι κατὰ μέσον τὸν λόγον — καὶ φωνὴν καθάπερ ἐν δράματι ἢ χώρᾳ ἢ ποταμῷ περιτιθέναι.* Propterea etiam in reliquis carminibus personas vel Terrarum vel Fluviorum adamavit Claudianus.

Jam ad panegyricum de tertio consulatu Honorii dictum transeamus, in quo inde a versu decimo usque ad versum decimum septimum haec legimus:

Spes votumque poli, quem primo a limine vitae
Nutrix aula fovet, strictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
Ardua privatos nescit Fortuna penates
Et regnum cum luce dedit. Cognata potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro
Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles et in mediis cunabula praebuit hastis.

Quibus in versibus poetam huius rhetoris praecepti: *ἑξῆς δὲ κεφάλαιόν ἐστιν ἡ ἀνατροφή, εἰ ἐν βασιλείοις ἀνετράφη, εἰ ἁλουργίδες τὰ σπάργανα, εἰ ἐκ πρώτης βλάστης ἐν βασιλικοῖς ἀνετράφη κόλποις* rationem habuisse in propatulo est. Addendi sunt vv. 22—38, in quibus poeta *τὴν ἀνατροφὴν* describere pergit. Interpositi sunt hi versus:

Te nascente ferox toto Germania Rheno
Intremuit movitque suas formidine silvas
Caucasus et positis numen confessa pharetris
Ignavas Meroë traxit de crine sagittas.

Hos quoque versus cum Menandro non dissentire nemo non videbit, qui legerit hoc praeceptum (pag. 371): *οὐκοῦν ἔστω σοι μετὰ τὴν πατρίδα καὶ μετὰ τὸ γένος τρίτον κεφάλαιον τὸ περὶ τῆς γενέσεως, ὡς ἔφαμεν, εἴ τι σύμβολον γέγονε περὶ τὸν τόκον.*

Neque non Claudianus in versibus 39—62, in quibus, quomodo Honorius educatus sit et armis exercitus, enarrat, haec praecepta observavit: *ζητήσεις τὴν παιδείαν* et mox *ἐὰν δ' ἐν μελέτῃ πολέμων καὶ ὅπλων, τοῦτο θαυμάσεις.* Praeterea hi duo loci mea quidem sententia congruunt. Men. pag. 372: *ὅτι δίκαιος ἐγένετο ἢ σώφρων ἐν τῇ νεότητι.* Cl. v. 85/6:

Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis,
Sic aetas animo cessit.

Men. pag. 374: *καὶ ὅτι ἐστενοχωρεῖτο τοῖς τῶν πεσόντων σώμασιν.* Cl. vv. 99—101:

et Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis turbaque cadentum
Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.

In versibus denique 191—200 auctore Menandro *πανοπλία* futura Honorii et Arcadii describitur et in vv. 201—211 sententia Menandri quae est: *οὐ δεδοίκαμεν βαρβάρους* pluribus verbis explicatur.

Nunc venimus ad panegyricum de quarto consulatu Honorii dictum, qui uberrimam copiam nobis praebet ad demonstranda Menandri vestigia. Quae jam in versibus 18—121 intelligi possunt. Nam a versu 18—40 poeta avum et a versu 41—121 patrem Honorii celebrat, qua in re eum a Menandro pendere jam supra vidimus. Sed praeter hoc generale praeceptum etiam has singulas sententias ab illo petivit. Men. (pag. 370): *πολλοὶ τῷ μὲν δοκεῖν ἐξ ἀνθρώπων εἰσί, τῇ δ' ἀληθείᾳ παρὰ τοῦ θεοῦ πέμπονται καί εἰσιν ἀπόρροιαι ὄντως τοῦ κρείττονος.* Claud. vv. 22/23:

terrae dominos pelagique futuros
Immenso decuit rerum de principe nasci.

Men. pag. 370: *οὗτος γοῦν καὶ μόνος ἠξιώθη τῆς βασιλείας.* Claud. v. 48:

et solus meruit regnare rogatus.

Neque minus versus 111—121, quibus clementiam et lenitatem Theodosii laudibus effert, auctore scripsit Menandro qui dicit: *μετὰ τὸ τέλος τῶν πράξεων ἢ καὶ πρὸς τῷ τέλει τῶν πράξεων ἐρεῖς τι καὶ περὶ τρίτης ἀρετῆς, λέγω δὴ τῆς φιλανθρωπίας.* Nec non et illud Claudiani (v. 118): largitor honorum pronus cum hoc Menandri consentit: *τιμαὶ δὲ κατὰ τὸ προσῆκον ἑκάστοις νέμονται.* Adnectit deinde poeta hos versus (121—27):

Hoc nobilis ortu
Nasceris aequaeva cum maiestate creatus
Nullaque privatae passus contagia sortis.

Omnibus acceptis ultro te regia solum
Protulit et patrio felix adolescis in ostro,
Membraque vestitu nunquam violata profano
In sacros cecidere sinus,

in quibus repetivit hoc praeceptum: *ἑξῆς δὲ κεφάλαιόν ἐστιν ἡ ἀνατροφή, εἰ ἐν βασιλείοις ἀνετράφη κτλ.* Sequitur apud Claudianum locus, in quo patriam Honorii praedicat (vv. 127—141). Prorsus idem praecipit Menander hisce verbis: *μετὰ τὰ προοίμια ἐπὶ τὴν πατρίδα ἥξεις.* Quid? si in versibus 141—48, ubi de natalibus Honorii agitur, haec legimus:

Quae tunc documenta futuri?
Quae voces avium? quanti per inane volatus?
Qui vatum discursus erat? Tibi corniger Hammon
Et dudum taciti rupere silentia Delphi.
Te Persae cecinere magi, te sensit Etruscus
Augur et inspectis Babylonius horruit astris,
Chaldaei stupuere senes Cumanaque rursus
Intonuit rupes, rabidae delubra Sibyllae,

nonne in aperto est poetam servasse praeceptum Menandri quod est (p. 371): *οὐκοῦν ἔστω σοι μετὰ τὴν πατρίδα καὶ μετὰ τὸ γένος τρίτον κεφάλαιον τὸ περὶ τῆς γενέσεως, ὡς ἔφαμεν, εἴ τι σύμβολον γέγονε περὶ τὸν τόκον ἢ κατὰ γῆν ἢ κατ' οὐρανὸν ἢ κατὰ θάλασσαν . . . κἂν μὲν ᾖ τι τοιοῦτον περὶ τὸν βασιλέα, ἐξέργασαι· ἐὰν δὲ οἷόν τε ᾖ πλάσαι καὶ ποιεῖν τοῦτο πιθανῶς, μὴ κατόκνει· δίδωσι γὰρ ἡ ὑπόθεσις διὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας ἀνάγκην ἔχειν ἀβασανίστως δέχεσθαι τὰ ἐγκώμια.* Jam in versibus 149—438, in quibus imprimis educationem Honorii tractat, hoc Menandri adhibuit: *ζητήσεις τὴν παιδείαν.* Quin etiam hoc praeceptum: *τὰς τοιαύτας τοίνυν διαιρήσεις πράξεις δίχα εἴς τε τὰ κατ' εἰρήνην καὶ τὰ κατὰ πόλεμον* secutus est Claudianus. Enarrat enim vv. 439—483 res in bello gestas et vv. 484—637 res in pace gestas. Qua in enarratione hi singuli loci concordare mihi videntur:

Men.: καὶ ἐρεῖς ὅτι *δικαίους* ἄρχοντας . . . ἐκπέμπει.

Claud. 488/89:

Ut fortes in Marte viros animisque paratos,
Sic *iustos* in pace legis.

Men.: ἐρεῖς ἔτι καὶ περὶ τῶν φόρων.

Claud. 496:

Impia continui cessant augmenta tributi.

Men.: ἐρεῖς τι καὶ περὶ νομοθεσίας.

Claud. 505/7:

Firmatur senium iuris priscamque resumunt
Canitiem leges emendanturque vetustae
Acceduntque novae.

Praeterea hoc praeceptum: ἐὰν δ' ἐν μελέτῃ πολέμων καὶ ὅπλων, τοῦτο θαυμάσεις sibi observandum putavit poeta in versibus 520—564. Adice denique quod versus 628—631 conspirant cum his Menandri verbis: ὅτι ἐστενοχωρεῖτο τοῖς τῶν πεσόντων σώμασιν.

Minus autem Claudianus in panegyrico, quem de consulatu Manlii Theodori dixit, e Menandro pendet, quamquam nonnulla vestigia rhetorica in eo inveniri negari non potest. Nam primum de gente Theodori propterea nihil dicit, quod illa clara non fuit. Qua in re Menandrum secutus est qui dicit: ἐὰν δὲ ἄδοξον ᾖ ἢ εὐτελὲς (sc. τὸ γένος), μεθεὶς καὶ τοῦτο ἀπ' αὐτοῦ τοῦ βασιλέως τὴν ἀρχὴν ποιήσῃ. Deinde in versibus 16—20 hanc sententiam: ὅτι σώφρων ἐν τῇ νεότητι explicavit. Accedit quod per totum carmen φιλανθρωπίαν Theodori summis laudibus extulit et in versibus 336—340 hoc Menandri praeceptum: ἐπὶ τούτοις εὐχὴν ἐρεῖς αἰτῶν παρὰ θεοῦ εἰς μήκιστον χρόνον προελθεῖν τὴν βασιλείαν, διαδοθῆναι εἰς παῖδας, παραδοθῆναι τῷ γένει, quod est de regno dictum, in consulatum transtulit.

Multo vero magis Menandrum secutus est in panegyrico quem per tres libros Stilichoni consuli dixit. Jam versus 10—22 qui legerit facile rhetoricam artem agnoscet. Adjungit deinde poeta hunc locum:

Magnum mihi panditur aequor
Ipsaque Pierios lassant proclivia currus
Laudibus innumeris

in quo haec duo praecepta expressit: *ὥσπερ δὲ πελάγους ἀπείρου τοῖς ὀφθαλμοῖς μέτρον οὐκ ἔστι λαβεῖν, οὕτω καὶ βασιλέως εὐφημίαν λόγῳ περιλαβεῖν οὐ ῥᾴδιον* et *λήψει δευτέρων προοιμίων ἐννοίας . . . ἀπὸ τῶν Μουσῶν αὐτῶν, ὅτι μόλις ἂν καὶ αὗται πρὸς ἀξίαν τῆς ὑποθέσεως εἰπεῖν ἐδυνήθησαν.* Eundem autem colorem invenisse mihi videor in versibus 24—35 atque in his verbis Menandri: *ὅσοι μὲν οὖν γεγόνασιν ἄρχοντες καὶ παρ' ἡμῖν καὶ παρ' ἑτέροις, ἢ τῷ γένει μόνῳ σεμνύνεσθαι ἔδοξαν ἢ φρόνησιν προυβάλλοντο ἢ τῶν ἄλλων μίαν ἀρετῶν· οὗτος δὲ ὅτι τῷ γένει πάντων κρείττων ἐστί, καθάπερ καὶ ὁ ἥλιος τῶν ἀστέρων δέδεικται κτλ.* Itemque versus sequentes (35—39):

Ne facta revolvam
Militiamque patris, cuius producere famam,
Si nihil egisset clarum nec fida Valenti
Dextera duxisset rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilicho

ad hoc Menandri spectant: *ἐὰν δὲ ἄδοξον ᾖ ἢ εὐτελὲς* (sc. *τὸ γένος*), *μεθεὶς καὶ τοῦτο ἀπ' αὐτοῦ τοῦ βασιλέως τὴν ἀρχὴν ποιήσῃ.* Quamobrem poeta patris Stilichonis non nisi paucis verbis mentione facta filii naturam per versus 39—50 celebrat auctore Menandro qui jubet: *μετὰ τὴν γένεσιν ἐρεῖς τι καὶ περὶ φύσεως.* Neque minus in versibus 64—68 hoc Menandri praeceptum: *καὶ ὅτι ἐν οἷς ἐπαιδεύετο διαφέρων τῶν ἡλίκων ἐφαίνετο* secutus est.

Adice quod in hoc quoque panegyrico illo praecepto rhetoris quod est de dividendis rebus in bello et in pace gestis usus a versu 89 usque ad finem libri primi enarrat, quae Stilicho foris et in secundo libro, quae domi gessit. Praeter hanc dispositionem in primo libro hi versus cum Menandro non discordant.

Men *ὅτι ἐστενοχωρεῖτο τοῖς τῶν πεσόντων σώμασιν.*

Claud. vv. 185—187:

Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon
Haesit et Alpheus Geticis angustus acervis
Tardior ad Siculos etiamnunc pergit amores.

Men. *οἷον γὰρ ὁρῶσι τὸν βασιλέως βίον, τοιοῦτον ἐπανῄρηνται.* Cl. vv. 168/69:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum
Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Incipit liber secundus hisce versibus:

Hactenus armatae laudes: nunc qualibus orbem
Moribus et quanto frenet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit fastisque suum concesserit annum,
Mitior incipiat fidibus jam Musa remissis.

Hos versus mea sententia poeta scripsit huius Menandri praecepti ratione habita: *Χρὴ δὲ γινώσκειν καὶ φυλάττειν τὸ παράγγελμα, ὅτι, ὅταν μέλλῃς ἀπὸ κεφαλαίου μεταβαίνειν εἰς κεφάλαιον, δεῖ προοιμιάζεσθαι περὶ οὗ μέλλεις ἐγχειρεῖν κτλ.* Jam ut vv. 6—29 clementiam et lenitatem Stilichonis ante reliquas virtutes laudibus efferret, commotus videtur esse hoc loco Menandri: *μετὰ τὸ τέλος τῶν πράξεων ἢ καὶ πρὸς τῷ τέλει τῶν πράξεων ἐρεῖς τι καὶ περὶ τρίτης ἀρετῆς, λέγω δὴ τῆς φιλανθρωπίας.* Praeterea in altero libro Claudianus hos locos e Menandro deprompsit. Men. *ὅτι διὰ βασιλέα σώφρονες μὲν οἱ γάμοι* — Cl. vv. 74—78. Men. *ὅτι τοῦ σιτηρεσίου τῶν στρατευμάτων στοχάζεται* — Cl. vv. 147—153. Men. *τὸ εὐπρόσοδον ἐπαινέσεις.* Cl. vv. 162/63: contingere passim affarique licet. Quin etiam hoc praeceptum: *τοιγάρτοι καὶ ἀμειβόμεναι αὐτὸν αἱ πόλεις καὶ ἔθνη καὶ γένη καὶ φυλαὶ στεφανοῦμεν, ὑμνοῦμεν, γράφομεν, πλήρεις εἰκόνων αἱ πόλεις* — sibi observandum existumavit in vv. 173—339. In tertio denique libro hi loci consentiunt. Men. p. 394: *ὡς πάντας ἐνόμισεν ἀδέλφους εἶναι αὐτοῦ τοὺς ἡλικιώτας καὶ πατραδέλφους τοὺς ἄλλους καὶ γένος ἓν πᾶσαν τὴν πόλιν.* Claud. v. 159: Quod cuncti gens una sumus.

In panegyrico de sexto consulatu Honorii dicto paucos tantum locos congruentes inveni. Nec id mirum. Nam poetam idem semper repetere atque iterare non oportuit. Itaque Claudianus imprimis bellum contra Alaricum gestum et pompam consularem hoc panegyrico celebrare constituit. Atque dum illud bellum illustrat, Eridanum flumen loquentem et superbiam insolentiamque Alarici vituperantem facit secutus hoc praecptum: *ἐνταῦθα καιρὸν ἕξεις καὶ ἀνεῖναι κατὰ μέσον τὸν λόγον ... καὶ φωνὴν καθάπερ ἐν δράματι ἢ χώρᾳ ἢ ποταμῷ περιτιθέναι.* Addendi sunt hi loci qui inter se sine dubio non dissentiunt. Men. p. 374: *ὅτι αὐτὸς ἦν ὁ διαταττόμενος, αὐτὸς ὁ στρατηγῶν.*

Claud. vv. 216/17:

Ipse manu metuendus adest inopinaque cunctis
Instruit arma locis eqs.

Men. p. 373: *σὺ μὲν τοὺς ἐκείνων λόχους καὶ τὰς ἐνέδρας διὰ φρόνησιν ἐγίνωσκες, ἐκεῖνοι δὲ τῶν ὑπὸ σοῦ πραττομένων οὐδὲν συνίεσαν.*

Claud. vv. 235/36:

Cuius consilium non umquam repperit hostis
Nec potuit texisse suum.

Superest ut explicemus, quomodo Claudianus in laude Serenae conscribenda Menandrum secutus sit. Sed ne eadem verba mihi semper exscribenda sint, locos congruentes breviter indicare liceat: *τὸ γένος* celebratur in vv. 34—49, *ἡ πατρὶς* 50—69, *τὰ σημεῖα τὰ περὶ τὸν τόκον* enarrantur 70—85, *ἡ ἀνατροφὴ* explicatur 86—145, *ἡ παιδεία* denique 146—159. En praeclarum Claudiani imitationis exemplum!

Nunc postquam Claudianum in panegyricis componendis Menandri praecepta observasse demonstrare conati sumus, ad epithalamia eius transeamus, in quibus eum non minus e rhetore pendere videbimus[1]). Ac primum quidem hic de

1) Statium quoque in epithalamio Stellae et Violentillae praecepta rhetorica secutum esse uno verbo monuisse sufficit. cf. quae Vollmer in ed. Stat. p. 234 de hac re disputavit.

praefatione cum alia tum haec praecipit p. 400: *Ἔστι δέ ποτε . . . καὶ ἀπὸ διηγήματος ἄρξασθαι . . . οἷον εἰ λέγοις . . . ὅτι Πηλέως γαμοῦντος παρῆσαν μὲν ἅπαντες οἱ θεοὶ, προσῆσαν δὲ Μοῦσαι, καὶ οὐκ ἠμέλει τῶν παρόντων ἕκαστος πρέπουσαν αὐτῷ δωρεὰν χαρίζεσθαι τῷ γάμῳ· ἀλλ' ὁ μὲν ἐδίδου δῶρα, ὁ δὲ ἔπληττε λύραν, αἱ δὲ ηὔλουν, αἱ δὲ ᾖδον, Ἑρμῆς δὲ ἐκήρυττε τὸν ὑμέναιον.* Cum hoc proposito si Claudiani praefationem illius carminis quod inscribitur epithalamium de nuptiis Honorii comparaverimus, eum prorsus idem agere facile intelligemus. Nam argumentum ipsum praefationis a Menandro repetivit, cum nuptias Pelei et Thetidis enarret. Praeterea etiam in singulis rebus describendis eum secutus est. Concordant enim hi loci: *αἱ δε ᾖδον*: ‚carmina nec superis nec displicuere Tonanti' et *ὁ δὲ ἔπληττε τὴν λύραν*: ‚Tum Phoebus . . . pectine temptavit nobiliore lyram.' Pergit Menander: *τὰ δὲ μετὰ τὰ προοίμια ἔστω περὶ τοῦ θεοῦ τοῦ γάμου λόγος.* Addenda sunt quae in extrema eiusdem capitis parte adicit: *ἐξέστω δέ σοι καὶ ἀντὶ τοῦ γάμου ἔρωτα ἐκφράσαι ἢ ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου ἢ πρὸς τῷ τέλει.* Quae praecepta Claudianum coniunxisse videmus. Nam in prima parte carminis describit Venerem, deam amoris. Qua in descriptione versus eius:

Vivunt in Venerem frondes omnisque vicissim
Felix arbor amat; nutant ad mutua palmae
Foedera, populeo suspirat populus ictu
Et platani platanis alnoque adsibilat alnus

congruunt cum iis quae Menander dicit (pag. 402): *περὶ δε δένδρων ἐρεῖς, ὅτι κἀκεῖνα οὐκ ἄμοιρα γάμων.* Sequitur apud Menandrum hic locus: *μετὰ τὸν περὶ τοῦ γάμου λόγον, ἐν ᾧ τὸν θεὸν ὑμνήσας, ἥξεις ἐπὶ τὰ τῶν γαμούντων ἐγκώμια.* Etiam hoc praeceptum a poeta observatum videmus. Laudat enim cum socerum Honorii (vv. 300—41) et socrum (241—250) tum sponsam (230—281). Praeterea hac Menandri regula: *δυνατὸν δὲ καὶ ἰδίᾳ καὶ χωρὶς ἑκάστου διελόμενον τὸν ἔπαινον ἐπαινεῖν· κάλλος δὲ παρ' ἀμφοῖν κατὰ ἀντεξέτασιν* in versibus

243—250 usus est. Neque tamen in comparandis novis maritis, ut vult Menander, illam legem adhibuit, sed in illustranda Mariae et Serenae venustate. Nunc ad postremum locum venimus, in quo de diis nuptialibus agendum esse Menander censet. Dicit enim: *τέταρτος τόπος ἐστὶν ἀπὸ τοῦ περὶ τὸν θάλαμον καὶ παστάδας θεοὺς γαμηλίους ἐρεῖν.* Quibus cum verbis Menandri si Claudiani enarrationem, quae continetur vv. 201—227, contuleris, non dubitabis quin ille etiam hac in re a rhetore pendeat. Neque enim abhorrent versus ejus:

Tu festas, Hymenaee, faces, tu Gratia, flores,
Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas

a verbis Menandri: *Ὑμέναιος δὲ ἀνάψει λαμπάδας ἡμῖν καὶ δᾷδας καὶ γαμήλιον πῦρ.*

Accedit quod in extrema parte carminis hoc praescriptum Menandri servavit: *εἶτα εἰς εὐχὰς καταστρέψεις τὸν λόγον.* Nam carmen eius excidit in haec vota:

Sic puer Eucherius superet virtute parentem;
Aurea sic videat similes Thermantia taedas;
Sic uterus crescat Mariae; sic natus in ostro
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

Nec vero in dispositione solum Menandrum secutus est, sed etiam hi singuli loci similitudinem quandam prae se ferunt. Men. *ἢ περὶ Διὸς γήμαντος τὴν Εὐρώπην.* Claud. 112/13:

Iterumre Tonantem
Inter Sidonias cogis mugire iuvencas?

Men. *ἀλλ' ὅτι καὶ μέχρι πηγῶν καὶ ποταμῶν διικνεῖται ὁ θεὸς καὶ νηκτῶν καὶ χερσαίων καὶ ἀερίων* et mox *περὶ δὲ τῶν νηκτῶν δῆλον γὰρ ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ ζῶα τὰ κατὰ τὴν θάλατταν τελετὴν οἶδε γάμου, καὶ τὰ χερσαῖα καὶ τὰ πετεινὰ πάντα.* Claud. vv. 289—293.

Jam alterum epithalamium Palladio et Celerinae dictum qui perlegerit, hoc carmen illi quod modo tractavimus si-

millimum esse non negabit. Quamobrem verisimile est Claudianum etiam hoc in carmine componendo Menandri vestigia pressisse. Ac primum quidem in praefatione illum ad haec Menandri verba spectare censemus: ἢ τὴν αἰτίαν ἐν αὐτοῖς ἐρεῖς, δι' ἣν παρελήλυθας ἐπὶ τὸ λέγειν, . . . ὅτι ἔρανον ἀποδιδοὺς αὐτῷ προειληφὼς πρότερον χάριτας. Affert enim Claudianus in praefatione causam, cur epithalamium condiderit. Deinde in prima carminis parte Hymenaeum et Venerem celebrat. Jam supra Menandrum postulare audivimus, ut post praefationem de Hymenaeo agatur. Nec minus illius praecepta servavit in vv. 56—99, in quibus cum sponsum (56—69) tum sponsam (69—99) laudibus effert. Atque eodem modo secundum praeceptum de thalamo exornando sermo est in versibus 116—123. Accedunt denique hi loci quos poetam Menandro auctore scripsisse patet. Hic enim praecipit ὡς ὅταν λέγωμεν, συνελήλυθε μὲν οὖν ἡ πόλις, συνορτάζει δὲ ἅπας, apud illum legimus:

Celerina per omnes
Italiae canitur montes omnisque maritum
Palladium resonabat ager

itemque Menandri verba: πείθομαι δὲ καὶ ἔρωτας παρεῖναι, τόξα ἐντεινομένους, βέλη δὲ ἐφαρμόττοντας non discordant cum iis quae legimus apud Claudianum in versibus 140—145.

Jam ad finem huius disputatiunculae pervenimus, qua aliquid attulisse mihi videor ad aestinandam Claudiani artem poeticam. Sed quamquam hic poeta et dispositionem et multas sententias e Menandro deprompsit, tamen cave eum hac de causa parvi pendas. Nam praecepta rhetorica exempli gratia in epithalamiis ita est secutus, ut ea de quibus Menandro auctore agendum fuit, non narrari, sed rem geri prorsus videas. Neque minus ut aliud exemplum afferam, in panegyrico de IV. consulatu Honorii dicto illo praecepto quod est de educatione tam eleganter usus est, ut quasi ante oculos nostros Honorium a patre Theodosio educari cernamus.

Omnino autem Claudianus fundamentis a rhetore positis usus sua arte atque indole opus ut ita dicam mihi videtur exstruxisse dignum quod ab omnibus spectetur et perspiciatur.

Caput tertium.

Quomodo Claudianus panegyricorum latinorum scriptores imitatus sit.

Claudianum omnes fere maiores poetas et historicos et panegyricos latinos novisse et ex eorum libris in carminibus condendis hausisse Birtius in praefatione editionis Claudiani multis allatis exemplis docuit. Neque tamen me operam et oleum perdidisse credo, si denuo quomodo Claudianus panegyricos latinos imitatus sit inquiro, cum non pauci sint loci qui Birtium fugerint. Quamobrem Claudiani carminibus deinceps cum Plinii, Mamertini, Nazarii, Pacati, aliorum panegyricis comparatis locos inter se congruentes componamus. Incipiamus igitur a panegyrico Probini et Olybrii, in quo hos locos e panegyricis desumpsisse mihi videtur.

Claud. vv. 22—28:

Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
Sidereae cedunt acies, cum fratre retuso
Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis;
Tunc jubar Arcturi languet, tunc fulva leonis
Ira perit, Plaustro jam rara intermicat Arctos
Indignata tegi, jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inertem.

Plin. pan. cap. XIX:

‚Est haec natura sideribus, ut parva et exilia validiorum exortus obscuret.'

Claud. vv. 48—54:

Praeceps illa manus fluvios superabat Hiberos
Aurea dona vomens — — —
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis

Effluxere decus, quanto pretiosa metalli
Hermi ripa micat, quantas per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus harenas.

Inc. grat. actio Const. Aug. cap. XIV:
‚Quaenam toto orbe terrarum auri argentique metalla tam larga sunt, quis Tagus quisve Pactolus tanto fluxit auro, quantum liberalitate tua consecuti sumus?'

Claud. vv. 192—194:

Sic Proba praecipuo natos exornat amictu:
Quae decorat mundum, cuius Romana potestas
Fetibus augetur.

Plin. pan. c. 57:
‚— non consulatus ipse, qui sibi tuis umeris attolli et augescere videtur?'

Claud. in Ruf. l. I. vv. 220—22:

Crescebat scelerata sitis praedaeque recentis
Incestus flagrabat amor.

Pac. pan. c. 25:
‚Crescebat in dies habendi fames et pariendi rabiem parta irritabant.'

Claud. vv. 245—249:

Non flectitur annis,
Non aetate labat. Iuvenum rorantia colla
Ante patrum vultus stricta cecidere securi;
Ibat grandaevus nato moriente superstes
Post trabeas exul.

Pac. ib.:
‚Vidimus redactas in numerum dignitates et exutos trabeis consulares et senes fortunarum superstites et infantum sub ipso sectore ludentium flendam securitatem.'

Claud. v. 283:

Taceat superata vetustas.

Naz. pan. c. 15:
‚Cedat tibi . . . totius memoriae vetustas.'

Claud. lib. II. vv. 13/14:

Premor hinc odiis, hinc milite cingor.
Heu quid agam?

Pac. c. 38:

'Quid ergo faciam inter arma et odia medius? a tergo premor hostibus, a fronte criminibus.'

Claud. vv. 87 et 88:

Nam miseris nec flere quidem aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet.

Pac. c. 25:

'Ita fleri non licebat amissa metu reliquorum' et mox 'est aliquod calamitatum delenimentum dedisse lacrimas malis et pectus laxasse suspiriis.'

Claud. vv. 98 et 99:

Vel solus sperate veni! Te proelia viso
Languescent avidique cadet dementia monstri.

Pac. c. 30:

'— et te quidem, imperator Auguste, ad asserendam rempublicam usurpandamque victoriam suffecisset in bella vel solum venire.'

Claud. vv. 446 et 447:

Adspiciat quisquis nimium sublata secundis
Colla gerit.

Pac. c. 45:

'Quisquis imponere capiti diadema meditabitur: avulsum umeris Maximi caput et sine nomine corpus aspiciat.'

Claud. de bello Gild. v. 13:

Rumoremque sui praevenit laurea belli.

Mam. genethl. Max. c. 8:

'— quae vos conata est praevenire famam praevertistis.'

Claud. in Eutrop. lib. I. vv. 207—209:

Certantum saepe duorum
Diversum suspendit onus; cum pondere judex
Vergit, et in geminas nutat provincia lances.

Pac. c. 26:

‚Stabat ipse purpuratus ad lances et momenta ponderum nutusque trutinarum pallens atque inhians exigebat.'

Claud. vv. 346—348.

Fama prius falso similis vanoque videri
Ficta joco; levior volitare per oppida rumor
Riderique nefas.

Pac. c. 23:

‚Quis non ad primum novi sceleris nuntium risit?'

Claud. v. 408:

— nec Libyae senserunt damna rebellis

Plin. c. 31:

‚Mirum, Caesar, videretur, si desidem Aegyptum cessantemque Nilum non sensisset urbis annona.'

Claud. vv. 506 seq.:

Non est jaculis hastisve petendus:
Conscia succumbent audito verbere terga.

Pac. c. 30:

‚Et te quidem ... suffecisset vel solum venire. Nam si ... tantaque vis conscientiae fuit, ut ab inermibus verterentur armati et qui obtulerunt mortibus pectora darent terga verberibus: nonne tu quoque legionibus seditiosis rem totam visus egisses?'

Claud. lib. II. vv. 13—15.

Ulcera possessis alte suffusa medullis
Non leviore manu, ferro sanantur et igni,
Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.

Pac. c. 3:

‚— altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitatem duxerunt, manu pendente tractabo.'

Claud. v. 70:

Posteritas, admitte fidem.

Pac. c. 12:

‚credetne hoc olim ventura posteritas et praestabit nobis ... fidem ...?'

Claud. v. 134:

— num saltem tacita formidine mussant.

Inc. paneg. Constantini (IX) c. 2:

‚— omnibns fere tuis comitibus et ducibus non solum tacite mussantibus —.'

Claud. de III. cons. Hon. p. 22:

regumque recentes
Exuviae tibi ludus erant.

Naz. pan. c. 16:

‚per saevissimorum regum famosa supplicia ludebas.'

Claud. v. 86:

Sic aetas animo cessit.

Naz. cap. 3:

‚— animo jam nunc vincit aetatem.'

Claud. v. 157:

Indue mente patrem.

Mam. grat. actio c. 27:

‚— et offensarum gratiam faciens induit fratrem.'

Claud. de IV. cons. Hon. vv. 59 seq.:

Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus iamiam ruitura subisset
Pondera turbatamque ratem certaque levasset
Naufragium commune manu.

Mam. paneg. Max. (II) c. IV:

‚Neque enim cum reipublicae navem secundus a puppi flatus impelleret, salutarem manum gubernaculis addidisti, sed cum ad restituendam eam post priorum temporum labem divinum modo ac ne id quidem unicum sufficeret auxilium, praecipitanti Romano nomini juxta principem subisti.'

Claud. v. 89:

Non hostes victore cadunt, sed iudice sontes.

Pac. c. 32 de iisdem:

Quamvis igitur, imperator, hoste tali abutereris nec tam ad proelium conserendum quam ad supplicium de nefario capite sumendum venires —.'

Claud. v. 101 et 102:

Nuntius ipse sui longas incognitus egit
Praevento rumore vias —.

Mam. genethl. Max. c. 8:

‚— ipsos siquidem quos praemiseratis nuntios reliquistis ipsamque quae vos conata est praevenire famam praevertistis.'

Claud. v. 103:

et clausos montes, ut plana, reliquit.

Mam. l. l. c. 9:

‚— hinc Cottias Alpes quasi relictas aestu arenas patentium litorum transcurristis.'

Claud. vv. 114 et 115:

paci non intulit iram:
Post acies odiis idem qui terminus armis.

Pac. c. 45:

‚qua (clementia) tu ipsius victoriae victor ita omnem cum armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum.' —

Claud. v. 118:

Magnarum largitor opum.

Mam. XI. c. 12:

‚divitiarum largitor.'

Claud. vv. 132—34:

Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas,
Haesit Apollineo Delos Latonia partu
Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti.

Pac. c. IV:

‚Cedat his terris terra Cretensis parvi Jovis gloriata cunabulis et geminis Delos reptata numinibus et alumno Hercule nobiles Thebae.

Claud. vv. 150—153:

exercitus undique fulgens
Astitit; ambitur signis augustior infans,
Sentit adorantes galeas, redditque ferocem
Vagitum lituus.

Mam. II. c. 2:

‚an quemadmodum educatus institutusque sis praedicabo in illo limite, illa fortissimarum sede legionum, inter discursus strenuae iuventutis et armorum sonitus tuis vagitibus obstrepentes?'

Claud. v. 269 seq.:

Hoc te praeterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in ore
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis; nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat et abstrusos explorat fama recessus.

Plin. paneg. 83:

‚Habet hoc privum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principum vero non modo domus, sed cubicula ipsa intimosque secessus recludit omniaque arcana noscenda famae proponit atque explicat.'

Claud. vv. 281 et 82:

Non sic excubiae, non circumstantia pila
Quam tutatur amor.

Pac. c. 47:

‚— privatas quoque aedes divinis vestigiis consecraris, remota custodia militari tutior publici amoris excubiis.' cf. etiam Plin. p. c. 49 et Mam. XI. c. 24.

Claud. v. 299 seq.: Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Plin. cap. 45:

‚Nam vita principis censura est eaque perpetua: ad hanc convertimur nec tam imperio nobis est quam exemplo.'

Claud. v. 296 seq.:

In commune jubes si quid censesve tenendum,
Primus jussa subi: tunc observantior aequi

Fit populus nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi.

Pac. c. 14:

'Sic est enim, sic est: exasperat homines imperata correctio, blandissime jubetur exemplo.'

Claud. vv. 337 seq.:

Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, neve imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat. Neu flantibus Austris
Neu pluviis cedas, neu defensura calorem
Aurea summoveant rapidos umbracula soles.
Inventis utere cibis.

Mam. XI. c. 11:

'Neque enim ei parandae sunt picturatae marmorum crustae et solido auro tecta laquearia, qui maiorem anni partem in nuda humo cubet et caelo tantum tegatur; neque turbae institorum ac deliciae ministrorum cui tam pauca sint ministranda: neque impensus epularum ei qui saepius statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat gaudens castrensi cibo, ministerio obvio et poculo fortuito.'

Claud. v. 343 seq.:

si collis iniquus,
Primus ini eqs.

Pac. c. 10:

'Ne tum quidem . . . honori operans remisisti, quin omnium castrensium munerum numeros primus aut cum primis obires' eqs.

Claud. v. 413 seq.:

Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis,
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum;
Sordida dictator flexit Serranus aratra:
Lustratae lictore casae fascesque salignis
Postibus affixi; collectae consule messes
Et sulcata diu trabeato rura colono.

Pac. c. 9:

‚Sic agrestes Curii, sic veteres Coruncani, sic nomina reverenda Fabricii, cum induciae bella suspenderant, inter aratra vivebant et, ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Jovis laureis triumphales viri rusticabantur.'

Claud. v. 457:

Quis victum meminit sola formidine Rhenum?

Inc. paneg. Const. (V.) c. 13:

‚— repente Rheno institisti omnemque illum limitem non equestribus neque pedestribus copiis, sed praesentiae tuae terrore tutatus es.'

Claud. v. 454:

et magno pacem pro munere donat.

Mam. XI. 7:

‚— innumerabilibus barbaris data venia et munus pacis indultum.'

Claud. vv. 518 seq.:

Quantus in ore pater radiat! quam torva voluptas
Frontis et augusti maiestas grata pudoris!

Inc. paneg. Const. (VII.) c. 4:

‚Inde est, quod tanta ex illo in te formae similitudo transivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. Idem enim est quem rursus in te colimus aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis et in ore tranquillitas.'

Claud. vv. 554 seq.:

Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
Verbera Nereidum stabulis nutritus Arion
Serviretque tuis contempto Castore frenis
Cyllarus et flavum Xanthus sprevisset Achillem.
Ipse tibi famulas praeberet Pegasus alas —

Inc. l. l. c. 8:

‚Quis enim te Cyllarus aut Arion posset eripere, quem sequebatur imperium?' — Confer etiam Auson. grat. act. c. XVIII (ed. Schenkl.): ‚Pegasus volucer actus a Lycia

non ultra Ciliciam permeavit: Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque senuerunt: ipsi Castorum equi, quod longissimum iter est, non nisi mutato vectore transcurrunt.'

Claud. vv. 620 et 21:

Praemissa futuris
Dant exempla fidem.

Naz. c. II:

‚— sed auguramur iam vicennalia et venturis fidem superiorum felicitate sancimus.'

Claud. vv. 641 et 42:

Sis, precor, adsiduus consul Mariique relinquas
Et senis Augusti numerum.

Auson. l. l. c. 6:

‚— te videre saepius in hoc magistratu, Gratiane, desidero, ut et sex Val. Corvini et septem C. Marii et cognominis tui Augusti tredecim consulatus unus aequiperes.'

Claud. paneg. Manlii Theod. vv. 5 et 6:

immotaque cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.

Inc. paneg. Const. (IX.) c. 26:

‚— sive aliqua supra omne caelum potestas es, quae hoc opus tuum ex altiore naturae arce despicias.'

Claud. vv. 40 et 41:

Quidquid luce procul venas rimata sequaces
Abdita pallentis fodit sollertia Bessi.

Pac. c. 28:

‚— parum ille pretiosum putabat aurum quod de montium venis aut fluminum glareis quaesitor Bessus aut scrutator Gallaicus eruisset.'

Claud. v. 115:

nascentes ibant in saecula libri.

Plin. c. 55:

‚Ibit in saecula fuisse principem . . .'

Claud. vv. 163 et 64:

Nunc Brutus amaret
Vivere sub regno.

Pac. c. 20:

‚Quod si per rerum naturam liceret, ut ille Romanae libertatis assertor, regii nominis Brutus osor, . . . saeculum tuum cerneret . . ., mutaret profecto sententiam tanto post suam et . . . necessario fateretur Tarquinium submoveri debuisse, non regnum.'

Claud. de cons. Stil. I. vv. 14 seq.:

Veteres actus primamque iuventam
Prosequar? Ad sese mentem praesentia ducunt.
Narrem iustitiam? resplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis.

Pac. c. 5 eundem colorem praebet:

‚Quid, inquam, faciam? quae Rhenus aut Vahalis vidit aggrediar? jam se mihi Sarmatica caede sanguineus Hister obiciet. Attritam pedestribus proeliis Britanniam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur.'

Claud. vv. 25 seq.:

nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro. Quem vultus honestat,
Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit. Bellis insignior ille,
Sed pacem foedat vitiis. Hic publica felix,
Sed privata minus. Partitum; singula quemque
Nobilitant . . . .
Sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt; et quae divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Plin. c. 4:

‚Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non et arma honestarunt . . . ille quaesitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: postremo adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur. At principi nostro quanta concordia quantusque concentus omnium laudum omnisque gloriae contigit.' Vide etiam quae Pac. in cap. 5 de Theodosio dicit:

‚dixisse sufficiat unum illum divinitus extitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent, quae singulae in hominibus praedicantur.'

Claud. vv. 44 et 45:

Jam tum conspicuus, iam tum venerabilis ibas
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris . .

Pac. c. 6:

‚Velut tua haec forma venerabilis quam fortunae suae par est! quam longe lateque conspicua commendat imperatorem!'

Claud. vv. 122 et 23:

Quotiens sub pellibus egit
Edonas hiemes . .!

Pac. c. 8:

‚actas sub pellibus hiemes.'

Claud. vv. 210 seq.:

Illi terribiles, quibus otia vendere semper
Mos erat et foeda requiem mercede pacisci,
Natis obsidibus pacem tam supplice vultu
Captivoque rogant . . .

Plin. c. 12:

‚Accipimus obsides ergo, non emimus, nec ingentibus damnis immensisque muneribus paciscimur, ut vicerimus. rogant, supplicant . . .'

Claud. v. 341:

Ne timeare times . . .

Naz. cap. 18:

‚Nihil magis timuisti, quam ne timereris.' cf. etiam Pac. c. 35.

Claud. v. 363:

Nil tribuat Fortuna sibi.

Inc. paneg. Const. VII. c. 2:

‚nec possit Fortuna numini suo[1]) imputare, quod tuum est.'

---

1) Sic cum Livineio legendum est.

Claud. de cons. Stil. lib. II. vv. 15 et 16:

— ut ferrum Marte cruentum,
Siccum pace feras —

Inc. paneg. Const. (IX) c. 10:

‚Nova enim quadam varietate naturae confusoque virtutum temperamento idem es et in proeliis ferocissimus et parta securitate mitissimus.'

Claud. vv. 18 et 19: deponas ocius iram
Quam moveas.

Pac. c. 45:

‚— qua tu ipsius victoriae victor ita omnem cum armis iram deposuisti . .'

Claud. v. 33: numquam promissa morari.

Pac. c. 18:

‚Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu quod promittis appendis' et mox ‚unum invenire non possumus cuius spem atque expectationem non dicam fefelleris, sed quae delicatior est querela, distuleris.'

Claud. vv. 39--41: nec mobile mutat
Ingenium: parvae strepitu nec vincula noxae
Dissolvi patitur.

Mamert. XI. c. 26:

‚Si aliqui sunt improbi, tolerandis familiarium vitiis immutabilis est amicus.'

Claud. vv. 153—55: et nomine quemque
Compellas clari quod sub te gesserat olim
Admonitum facti —

Plin. c. 15:

‚Inde est quod prope omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemoras.'

Claud. v. 198:

Exsectis, inculta dabant quas saecula, silvis
Restituit terras.

Mam. III. 15:

‚Ubi silvae fuere, jam seges est.'

Claud. v. 294:

vix tanto risit de crimine rumor.

Pac. c. 23:

‚Quis non ad primum novi sceleris nuntium risit?'

Claud. vv. 322 seq.:

Sic trabeis ultor Stilicho Brutusque repertor.
Libertas populi primo tunc consule Bruto
Reddita per fasces; hic fascibus expulit ipsis
Servitium. Instituit sublimem Brutus honorem;
Asseruit Stilicho.'

Mam. XI. c. 30:

‚Illorum (scil. Lucii Bruti et Publii Valerii) anno libertas orta est, nostro restituta.'

Claud. de cons. Stil. III. vv. 221 et 22:

Nec inutile quaerit
Ferri praesidium solo munitus amore.

Mam. grat. actio c. XXIV:

‚Arma igitur et iuvenes cum gladiis atque pilis non custodiae corporis sunt, sed quidam imperatoriae maiestatis sollemnis ornatus. Quid enim istis opus est, cum firmissimo sis muro civici amoris obsaeptus?'

Claud. de sexto cons. Hon. paneg. vv. 61 et 62:

— patriciasque domos privataque passim
Visere deposito dignatus limina fastu.

Pac. pan. c. 47:

‚— ut crebro civilique progressu non publica tantum opera lustraveris, sed privatas quoque aedes divinis vestigiis consecraris.'

Claud. vv. 101 seq.:

Felix ille parens qui te securus Olympum
Succedente petit! Quam laetus ab aethere cernit
Se factis crevisse tuis!

Inc. pan. Const. IX. c. 25:

‚Invitus hoc forte accipis, imperator, sed ille, dum dicimus, gaudet e caelo et iam pridem vocatus ad sidera adhuc crescit in filio.

Claud. vv. 407 et 408:

Quem, precor, ad finem laribus seiuncta potestas
Exulat imperiumque suis a sedibus errat?

Plin. c. 61:

‚— utriusque adhuc oculis paulo ante dimissi fasces oberrabant.'

Claud. vv. 444 et 45:

Tutior auxilio brumae (quo gentibus illis
Sidere consueti favet inclementia caeli).

Plin. c. 12:

‚An audeant qui sciant te adsedisse ferocissimis populis eo ipso tempore quod amicissimum illis, difficillimum nobis, cum Danuvius ripas gelu iungit duratusque glacie ingentia tergo bella transportat, cum ferae gentes non telis magis quam suo caelo, suo sidere armantur?'

Claud. vv. 459 seq.:

Quid faceret? differret iter? Discrimina nullas
Nostra dabant adeunda moras. Perrumperet agmen?
Sed paucis comitatus erat.

Pac. c. 38 eundem colorem exhibet:

‚— repeto Britanniam quam reliqui? credo me Galliae? sed invisus sum. Hispaniae committo? sed notus sum. Quid ergo faciam inter arma et odia medius?

Claud. vv. 548 et 49:

Temnunt prisca senes et in hunc sibi prospera fati
Gratantur durasse diem —'

Pac. c. 37:

‚Quid ego referam . . . gratulantes annis senes?'

Claud. v. 556:

Quique neget nato, procerum quod praestet honori.

Pac. c. 16:

‚amicis honos habitus est . . . cum essent domi filii' et c. 17 ‚amicos his (sc. filiis) praetulit, quos sibi praeferebat.'

Claud. de bello Goth. vv. 46—49:

Alta nec incertis metimur flumina votis
Excidio latura moram nec poscimus amnes
Undosam servare fidem nubesque fugaces
Aut coniuratum querimur splendere serenum.

Mam. pan. Max. c. 7:

‚Et quis unquam ante vos princeps non gratulatus est Gallias illo amne muniri? quando non cum summo metu nostro Rheni alveum minuit diu serena potestas?'

Claud. vv. 207—12:

An potius meminisse iuvat semperque vicissim
Gaudia praemissi cumulant inopina dolores?
Utque sub occidua jactatis Pleiade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum,
Sic mihi tunc maior Stilicho, cum laeta periclis
Metior atque illi redeunt in corda tumultus?

Plin. c. 5:

‚Ac sicut maris caelique temperiem turbines tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuae gratiam illum tumultum praecessisse crediderim.'

Claud. vv. 352—58:

Nec mollia fesso
Strata dedere torum; tenebris si caeca repressit
Nox iter, aut spelaea subit metuenda ferarum
Aut pastorali jacuit sub culmine fultus
Cervicem clipeo. Stat pallidus hospite magno
Pastor et ignoto praeclarum nomine vultum
Rustica sordenti genetrix ostendit alumno.

Plin. c. 15:

‚Veniet ergo tempus, quo posteri visere visendumque tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnum saxa praetexerint, quod denique tectum magnus hospes impleveris.'

Claud. v. 423:

Ullane posteritas credet?

Pac. c. 12:
‚Credetne hoc olim ventura posteritas?'

Hi quos attuli Claudiani loci cum prosae orationis panegyricis hac vel illa ratione congruere mihi videntur. Atque plurimis quidem locis imitatio Claudiani in elocutione ipsa exstat atque eminet, non nunquam autem poeta inornatos locos oratorum poetica usus exornatione pluribus verbis explicavit, sunt etiam loci, qui solum quod ad sententiam attinet inter se consentiant.

Caput quartum.

Quomodo Claudianus panegyricos Graecos imitatus sit.

Praeter panegyricos latinos Claudianum etiam graecos imitatum esse idem Birtius docuit cum in editione Claudiani p. LXXII tum in libello academico Marpurgensi a. 1885: ‚De moribus christianis quantum Stilichonis aetate in aula imperatoria occidentali valuerint.' Qua in disputatione pluribus verbis exposuit quatenus Claudianus ex Synesio pendere videatur. Sed cum ipse in praefatione editionis Claudianeae pag. CCIII optasset, ut exsisterent qui pluribus etiam similibus accumulatis munirent verba tradita Claudiani, denuo carmina eius cum panegyricis Aristidis, Synesii, Themistii, Libanii comparare locosque congruentes uno conspectu comprehendere constitui. Sunt vero hi loci, quorum Claudianus mihi imitator videtur exstitisse.

Aristidis *ἐγκώμιον Ῥώμης* p. 323 ed. Dind.: *περὶ ἧς μὴ ὅτι εἰπεῖν κατὰ τὴν ἀξίαν ἔστιν, ἀλλ' οὐδ' ἰδεῖν ἀξίως αὐτὴν — — τίς γὰρ ἂν τοσάσδε ὁρῶν κορυφὰς κατειλημμένας ἢ ... γῆν τοσήνδε εἰς μιᾶς πόλεως ὄνομα συνηγμένην, εἶτα ἀκριβῶς καταθεάσαιτο ἀπὸ ποίας τοιαύτης σκοπιᾶς;*

Claud. de cons. Stil. lib. III vv. 130 seq.:

Proxime dis consul, tantae qui prospicis urbi,
Qua nihil in terris complectitur altius aether,

Cuius nec spatium visus nec corda decorem
Nec laudem vox ulla capit.

Arist. l. l. pag. 362: *καὶ πολιτείαν γε εὕρετε, ἣν οὔπω πρόσθεν οὐδεὶς καὶ θεσμοὺς καὶ τάξεις ἀφύκτους ἅπασιν ἐπεστήσατε.*

Claud. l. l. vv. 136 et 36:

Armorum legumque parens quae fundit in omnes
Imperium primique dedit cunabula juris.

Arist. p. 334: *ὅν γε μὴν ἠπίστουν τινὲς τῶν λογοποιῶν μηδ' εἶναι τὸ παράπαν Ὠκέανον μηδὲ περιρρεῖν τὴν γῆν . . ., τοῦτον οὕτως καλῶς ἀνεύρετε ὥστε οὐδὲ ἡ ἐνταῦθα νῆσος ὑμᾶς διέφυγε.*

Claud. vv. 148 et 49:

Nec stetit Oceano remisque ingressa profundum
Vincendos alio quaesivit in orbe Britannos.

Arist. pag. 347: *ἀλλ' ὥσπερ τὸ τῆς γῆς ἔδαφος φέρει πάντας, οὕτω καὶ ἥδε δέχεται μὲν τοὺς ἐξ ἁπάσης γῆς* et *καὶ τὸ Ῥωμαῖον εἶναι ἐποιήσατε οὐ πόλεως, ἀλλὰ γένους ὄνομα κοινοῦ τινος.*

Claud. vv. 150 et 51:

Haec est in gremium victos quae sola recepit
Humanumque genus communi nomine fovit.

Arist. p. 365: *καὶ μὴν τό γε ὑπὸ πάντων λεγόμενον, ὅτι γῆ πάντων μήτηρ καὶ πατρὶς κοινὴ πάντων, ἄριστα ὑμεῖς ἀπεδείξατε. νῦν γοῦν ἔξεστι καὶ Ἕλληνι καὶ βαρβάρῳ καὶ τὰ αὑτοῦ κομίζοντι καὶ χωρὶς τῶν αὑτοῦ βαδίζειν, ὅποι βούλεται ῥᾳδίως, ἀτεχνῶς ὡς ἐκ πατρίδος εἰς πατρίδα ἰόντι.*

Claud. vv. 154 seq.:

Huius pacificis debemus moribus omnes
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes;
Quod sedem mutare licet.

Arist. p. 335: *ἀλλ' ὥσπερ μία χώρα συνεχὴς καὶ ἓν φῦλον ἅπαντα ὑπακούει σιωπῇ.*

Claud. v. 159:

quod cuncti gens una sumus.

Arist. pag. 362: *καὶ ἐδούλευσαν Μακεδόνες Πέρσαις, Πέρσαι Μήδοις, Μῆδοι Σύροις.*

Claud. vv. 163—65:

sic Medus ademit
Assyrio Medoque tulit moderamina Perses;
Subjecit Persen Macedo.

Arist. IX. *Εἰς βασιλέα* pag. 99/100: *οἱ μὲν γὰρ δι' ἑτέρων κτώμενοι τὴν ἀρχὴν ἢ παρὰ τῶν πρὸ αὐτῶν παραλαβόντες οἱ μὲν ἰσχὺν ἀντὶ τοῦ δικαίου προθέμενοι, οἱ δ' ὥσπερ τινὸς γένους ἀκολουθίαν καὶ διαδοχὴν σώζοντες οὕτως τὴν βασιλείαν ἐκτήσαντο· ὅστις δὲ αὐτὸς μὲν οὔτε παραγγείλας οὔτε δεηθείς, δεηθέντων δὲ ἁπάντων αὐτοῦ γενέσθαι, ἔδωκε τοῖς δεηθεῖσιν ἑαυτὸν καὶ παρακαλέσασι, πάλαι τούτῳ καὶ δι' ἀρετὴν τοῦτο τὸ γέρας ὠφείλετο.*

Claud. de IV. cons. Hon. vv. 45—48:

Haec tamen, innumeris per se quaesita trophaeis,
Non generis dono, non ambitione potitus.
Digna legi virtus. Ultro se purpura supplex
Obtulit et solus meruit regnare rogatus.

Arist. l. l. pag. 105: *πολλῶν τῶν κατηκόων περιιόντων καὶ ὠτακουστούντων κατὰ πάσας τὰς πόλεις, εἴ τις φθέγξαιτό τι, ἐλεύθερον δὲ οὐδὲν οὔτε φρονῆσαί τι οὔτε εἰπεῖν οἷόν τε ὄν, ἀνῃρημένης τῆς σώφρονος καὶ δικαίας παρρησίας . . ., ἀπήλλαξε τοῦ φόβου τούτου καὶ ἠλευθέρωσε τὰς ἁπάντων ψυχὰς ἐντελῆ καὶ ὁλόκληρον ἀποδοὺς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς.*

Claud. cons. Stil. lib. II. vv. 120 seq.:

— non insidiator oberrat
Facturus quemcumque reum.

et vv. 163—65:

Non inter pocula sermo
Captatur, pura sed libertate loquendi
Seria quisque iocis nulla formidine miscet.

Arist. pag. 107: *καὶ μὴν καὶ ὅσαι ἡδοναὶ ἄρχουσιν ἀνθρώπων οὐδεμιᾶς ἴσμεν ἡττημένον τὸν βασιλέα* et mox *τίς*

μὲν γὰρ οὕτω τὰ γαστρὸς ἐγκρατής, τίς δὲ ἀφροδισίων, τίς δὲ τῶν ἄλλων ἡδονῶν;

Claud. vv. 138—144:

Illa (sc. luxuries) voluptatum multos innexuit hamis:
Te nunquam conata capit. Non prava libido
Stupris advigilat; non tempora somnus agendi
Frustratur; nullo citharae convivia cantu,
Non pueri lasciva sonant. Quis cernere curis
Te vacuum potuit? Quis tota mente remissum
Aut indulgentem dapibus?

Arist. *ἐγκώμιον Ῥώμης* p. 347: *Οὔτε γὰρ ἐκείνη* (sc. *θάλαττα*) *μείζων ὑπὸ τῆς ἐμβολῆς τῶν ποταμῶν γίγνεται . . . ὥσπερ δὲ οἱ τοῖς κόλποις δεχόμενοι πάντα οὕτως κρύψασα ἔχει ἐξιόντων καὶ εἰσιόντων, ἴση οὖσά τε καὶ φαινομένη.*

Claud. in Rufin. l. I. vv. 183—86:

Ac velut innumeros amnes accedere Nereus
Nescit et undantem quamvis hinc hauriat Histrum,
Hinc bibat aestivum septeno gurgite Nilum,
Par semper similisque manet.

Arist. l. l. p. 325: *τοῦτο νῦν ἐξενίκησεν ἀληθὲς εἶναι τὴν ἴσην τε ἡλίου πορείαν εἶναι κτῆσιν ὑμετέραν τὸν ἥλιον διὰ τῆς ὑμετέρας πορεύεσθαι.*

Claud. de bello Gild. l. I. v. 48:

— ad solem victrix utrumque cucurri (sc. Roma).

Arist. *περὶ ὁμονοίας ταῖς πόλεσιν* p. 782: — *ἀκούοντες δὲ ἥλιον κρυπτόμενον τοῖς τοξεύμασι καὶ ποταμοὺς ἐπιλείποντας πίνουσι τοῖς ἐπιοῦσι* —

Claud. in Ruf. l. II. vv. 120—22:

Haud aliter Xerxen toto simul orbe secutus
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes
Et telis umbrasse diem.

Arist. l. l. p. 794: — *ἐπεὶ καὶ τὸν πάντα οὐρανὸν καὶ κόσμον, ὃς τὸ κάλλιστον ἁπάντων σχῆμα καὶ πρόσρημα εἴληφε, μία δήπου γνώμη καὶ φιλίας δύναμις διοικεῖ· καὶ μετὰ ταύτης ἥλιός τε πορεύεται τὴν αὑτοῦ χώραν φυλάττων δι' αἰῶνος . . .*

Claud. de quarto cons. Hon. vv. 284 seq.:

Nonne vides, operum quod se pulcherrimus ipse
Mundus amore liget, nec vi conexa per aevum
Conspirent elementa sibi? quod limite Phoebus
Contentus medio . . .?

Synesius[1]) *περὶ βασιλείας* cap. 5: *ἀλλ' ἐπὶ δύο τυράννους ἐλθὼν καὶ ἄμφω βαλών.*

Claud. de IV. cons. Hon. v. 70 seq.:

At non pars altera rerum
Tradita: bis possessa manu, bis parta periclis.
Per varium gemini scelus erupere tyranni.

Synes. l. l. c. 4: *Εἴη σοὶ τὸ βασιλεύειν ταύτῃ σεμνόν, ὅτι τὴν ἀρετὴν ἐγύμνασε καὶ προήγαγε, δεομένην ὕλης ἀποχρώσης οἰκείῳ μεγέθει, καὶ οὐκ ἂν χωρηθεῖσαν ἐν ὑποθέσει βίου βασιλείας ἐλάττονι.*

Claud. l. l. vv. 220—24:

Virtute decet, non sanguine niti.
Maior et utilior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus. Quid enim? submersa tenebris
Proderit obscuro veluti sine remige puppis
Vel lyra quae reticet vel qui non tenditur arcus?

Synes. c. 11: *Τοῦτό τοι πρῶτον καὶ σφόδρα βασιλικόν, αὐτὸν ἑαυτοῦ βασιλεύειν . . . καὶ μὴ κρατεῖν ἀξιοῦντα πολλακισμυρίων ἀνθρώπων, ἔπειτα αὐτὸν δοῦλον εἶναι δεσποινῶν αἰσχίστων, ἡδονῆς καὶ λύπης καὶ ὅσοι σύγγονοι θῆρες ἐνδιαιτῶνται τῷ ζώῳ.*

Claud. l. l. vv. 257—62:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:

---

1) Cum Synesio Claudiani carmina comparavi quia causis a Birtio in libro acad. Marp. anni LXXXV allatis mihi persuasum est Synesium ante Claudiani panegyricum de IV. cons. Honorii dictum orationem conscripsisse.

Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere iugum; tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui.

Synes. l. l.: *Ἐντεῦθεν δὲ ἤδη παρ' ἑαυτοῦ προιὼν ὁ βασιλεὺς πρώτοις ἐντεύξεται τοῖς πέλας τε καὶ φίλοις, μεθ' ὧν συνεστώτων περὶ τῶν ὅλων βουλεύσεται. Τούτους προσερεῖ φίλους, οὐ κατειρωνευόμενος τοῦ ὀνόματος.*

Claud. vv. 278 et 79:

Neu dubie suspectus agas neu falsus amicis
Rumorumve avidus.

Synes. c. 13: *Καὶ τίς ἐχυρωτέρα βασιλεία τῆς ἔρωτι τετειχισμένης;*

Claud. vv. 281 et 82:

Non sic excubiae, non circumstantia pila
Quam tutatur amor.

Synes. c. 6: *Ἀλλ' ὃς μὲν ἂν ἑαυτὸν συντάττῃ τῷ φαινομένῳ τῶν ἀρχομένων καλῷ καὶ ἐθέλῃ μοχθεῖν, ἵνα μηδὲν ἐκείνοις ᾖ μοχθηρὸν καὶ προκινδυνεύειν, ἵνα ἐπ' ἀδείας ἐκεῖνοι βιοτεύωσι καὶ ἀγρυπνεῖν καὶ συνεστιᾶσθαι μερίμναις, ἵνα νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν σχολάζωσι δυσχερῶν, οὗτός ἐστιν ἐν προβάτοις μὲν ποιμήν, ἐν ἀνθρώποις δὲ βασιλεύς.*

Claud. vv. 294 seq.:

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
Non tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.

Synes. cap. 31: *Ὡς πολλῶν ὄντων, ἃ δέδωκεν ὁ θεὸς βασιλείᾳ ζηλωτὰ καὶ μακάρια, οὐδενὸς ἧττον, εἰ μὴ καὶ παντὸς μᾶλλον ἀγασθείη τις ἂν αὐτῆς καὶ ὑμνήσειε τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀρχομένων ἰσχύν, ὅτι μετατίθησι βασιλεὺς δόξαν ἤθους ἐγκεκαυμένην ἔθει παλαιῷ καὶ τροφῇ τῇ πρώτῃ, τῷ φαίνεσθαι τἀναντία τιμῶν καὶ περὶ πλείστου ποιούμενος· ὅτῳ γὰρ βασιλεὺς χαίρει, τοῦτ' εὐθὺς αὔξειν ἀνάγκη καὶ ὑπὸ πλείστων ἐπιτηδεύεσθαι.*

Claud. vv. 299—302:

Componitur orbis
Regis ad exemplum nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Synes. cap. 19: *Οὕτως ἀξιῶ τὸν βασιλέα κοινὸν ἀγαθὸν καὶ ἄτυφον εἶναι* et cap. 20: *βασιλείας ἐξοριστέον εἶναι τῦφον καὶ πολυτέλειαν* . . .

Claud. vv. 303 seq.:

His tamen effectis neu fastidire minores
Neu pete praescriptos homini transcendere fines.
Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

Synes. cap. 14: *τεχνίτης ἐστὶν ὁ βασιλεὺς πολέμων.*

Hoc Claudianus in ampliorem ambitum extendit in vv. 320—336.

Synes. cap. 15: *Φημὶ γὰρ οὐδὲν οὕτως ἔμπροσθεν ἄλλο χεῖρω ποιῆσαι τὰ Ῥωμαίων ὡς τὴν περὶ τὸ βασιλικὸν σῶμα σκηνὴν καὶ θεραπείαν.* Claud. vv. 337—41.

Synes. cap. 13: . . . *ἔνθα καὶ ἱππεῖ συνιππεύσει καὶ πεζῷ συνθευσεῖται καὶ συνοπλιτεύσει τῷ ὁπλίτῃ κτλ.*

Claud. vv. 349 et 50:

Nunc eques in medias equitum te consere turmas;
Nunc pedes assistas pediti.

Synes. cap. 14: *πᾶς γὰρ ἐθέλει πονεῖν ὑπὸ μάρτυρι τῷ βασιλεῖ.*

Claud. v. 350 et 51:

Tum promptius ibunt
Te socio, tum conspicuus gratusque geretur
Sub te teste labor.

Synes. cap. 15: *καὶ οὐκ ἀξιῶ παραβαθῆναι τῷ βασιλεῖ Ῥωμαίων τὰ πάτρια. Πάτρια δὲ ἡγοῦ Ῥωμαίων οὐ τὰ χθὲς καὶ πρώην εἰς ἐκδεδιῃτημένην ἤδη παρελθόντα τὴν πολιτείαν, ἀλλ' ἐν οἷς ὄντες ἐκτήσαντο τὴν ἀρχὴν* et c. 16: *Νῦν οὖν ἄρ' ἄμεινον πράττετε . . . ἢ τόθ' ἡνίκα ἐξηγοῦντο τῶν στρατευμάτων ἄνδρες ἐν μέσῳ ζῶντες;*

His verbis Synesius Arcadium adhortatur, ut luxuria deposita priscos mores Romanorum revocet. Eodem modo Claudianus Honorium admonet, ut priscos imitetur Romanos in vv. 396—418.

Synes. cap. 31: *Ἀλλὰ σύ τοι ποίει ζηλωτὸν ἀρετὴν κἂν πενίᾳ συνῇ· μὴ λανθανέτω σε φρόνησις ἀνδρὸς καὶ δικαιοσύνη καὶ ὁ λοιπὸς ἑσμὸς τῶν ψυχικῶν ἀγαθῶν ἐσθῆτι φαύλῃ κρυπτόμενος, ἀλλ' ἕλκειν τε αὐτὸν ἐν μέσῳ καὶ ἀξιοῦν δημοσιεῦσαι τὴν ἀρετὴν, ἣν οὐκ ἄξιον οἰκουρεῖν, ἀλλ' ὕπαιθρον εἶναι καὶ ἐναγώνιον.*

Claud. de cons. Stil. lib. II. vv. 121 seq.:

Non obruta virtus
Paupertate latet. Lectos ex omnibus oris
Evehis et meritum, non quae cunabula, quaeris
Et qualis, non unde satus.

cf. vv. 128—131:

opibusque fluens et pauper eodem
Nititur ad fructum studio, cum cernat uterque
Quod nec inops iaceat probitas nec inertia surgat
Divitiis.

Themistius *περὶ φιλανθρωπίας* p. 9 ed. Dindorf.: *Τοιγαροῦν ὁ μὲν οὐδὲ ἄξιος ὢν βιάζεται τὴν τοιαύτην τιμὴν* (sc. *νεὼς καὶ ἀγάλματα*), *ὁ δὲ καὶ ἄξιος ὢν οὐκ ἐθέλει.*

Claud. de cons. Stil. II. vv. 178—81:

quis devius esset
Angulus aut regio, quae non pro numine vultus
Dilectos coleret, talem ni semper honorem
Respueres?

et v. 183:

Hic solus sprevisse potest, qui iure meretur.

Them. *προτρεπτικὸς Οὐαλεντινιανῷ* IX. p. 144: *καὶ οὐ καταλύουσιν οἱ τὰ μήκιστα αὐξηθέντες, ἐντεῦθεν σὺ προοιμιάζῃ.*

Claud. pan. Prob. et Olybr. v. 67:

coepistis quo finis erat.

Them. l. l.: *πρῶτος γὰρ δὴ τέως τῆς εὐδαίμονος οἰκίας ἐσπαργανώθης ἐν ἁλουργίδι καὶ νίκῃ μέν σε ὑπεδέξατο ἐκ τῶν ὠδίνων, νίκῃ δὲ εὐθὺς τιθηνεῖται.*

Claud. pan. de III. cons. Hon. vv. 14 seq.:

Cognata potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro
Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles et in mediis cunabula praebuit hastis.

Them. l. l. p. 145: *ἀνέχῃ δὲ εὐθαρσῶς καὶ βοῆς ἐνυαλίου καὶ ἀσπίδων δούπου καὶ θωράκων μαρμαρυγῆς καὶ λόφων.*

Claud. l. l. vv. 29—32:

Ille coruscanti clipeo te saepe volentem
Sustulit adridens et pectore pressit anhelo
Intrepidum ferri galeae nec triste timentem
Fulgur et ad summas tendentem bracchia cristas.

Libanii prosphon. ad Jul. I. 422 ed. Reiske: *καὶ μόνος συνείληφας, ἃ τοὺς ἄλλους μεμερισμένα κοσμεῖ.*

Claud. de cons. Stil. v. 34:

et quae divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Lib. l. l. p. 406: *τοιοῦτόν τι καὶ τὸ νῦν· γενναῖοι γενναιότερον ἔτεκον καὶ τὴν ἡδίστην ἧτταν ἡττήθησαν.*

Claud. de IV. cons. Hon. v. 430:

Jam natus adaequat
Te meritis et quod magis est optabile vincit.

Lib. *πρὸς Θεοδόσιον β' ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς* I. p. 656: *ὁ μὲν γὰρ Ἀσκληπιὸς ἑνί τινι λέγεται λῦσαι θάνατον καὶ Ἡρακλῆς μιᾷ τινι γυναικί· σοὶ δὲ περὶ ὅλην τοῦτο πέπρακται πόλιν.*

Claud. de bello Poll. vv. 438—41:

Creditur Herculeis lucem renovasse lacertis
Femina dilecti fatis impensa mariti.
Et juvenem spretae laniatum fraude novercae
Non sine Circaeis Latonia reddidit herbis.

et vv. 447—449:

At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
Sed tot communi populos sub morte iacentes
Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.

Lib. IV. pag. 1078: *Πλευραὶ γῆς ἐξανέχουσαι καὶ παρ' αὐτὸ χωροῦσαι τὸ πέλαγος εἰς ἀλλήλας ἐπανακάμπτουσι καὶ πρὸς ἀλλήλας ἰοῦσαι κύκλον τελοῦσι, καὶ κύκλον οὐχ ὅλον, ἀλλ' ὅσον στόμα τῷ λιμένι καταλιπεῖν.*

Claud. carm. min. II.:

Urbs in conspectu montana cacumina velat
Tranquillo praetenta mari. Ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
Hic exarmatum terris cingentibus aequor
Clauditur et placidam discit servare quietem.

Lib. I. p. 477: *δὸς δὴ συγγνώμην, δὸς ὦ βασιλεῦ.*

Claud. carm. min. XXII. v. 11:

Concede jacenti.

Lib. p. 458: *ἡμάρτομεν, ὁμολογοῦμεν.*

Claud. v. 12:

En adsum; veniam confessus crimina posco.

Lib. p. 462: *διὰ τοῦτο τηροῦντος μὲν τὴν μῆνιν Ἀχιλλέως ἀχθόμεθα, καὶ μετὰ τῶν πρεσβέων, τῶν οὐχὶ πεπεικότων ἀδικεῖσθαι νομίζομεν, χαίρομεν δὲ τὸν Πρίαμον ὁρῶντες ἔνδον ὄντα παρ' αὐτῷ καὶ συνδειπνοῦντα καὶ οὐδενός, ὧν ἐσπούδαζεν, ἀτυχοῦντα.*

Claud. v. 13:

Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.

De Alexandri clementia verba facit Libanius p. 464.

Item Claud. v. 16:

Pellaeum iuvenem regum flexere ruinae.

Lib. p. 477: *τίνας ἔτι ζητεῖς δίκας παρ' ἀνθρώπων ἀνηλωμένων λύπῃ;*

Claud. v. 26:

Quid superest damnis? quae saeva pericula restant?

Hi fere sunt loci panegyricorum graecorum et carminum Claudiani quos inter se congruere censeo. Expressos autem videmus a Claudiano magis Aristidem et Synesium, minus Themistium et Libanium. Tamen loci allati idonei mihi videntur quibus imitatio comprobetur. Omnino autem monendum est non numquam eosdem locos et in latinis panegyricis et in graecis inveniri, quare mea quidem sententia diiudicari non potest, utrum Claudianus illos e latinis panegyricis desumpserit an e graecis. Nobis satis sit locos congruentes indicasse.

Vita scriptoris.

Natus sum Otto Kehding anno h. s. LXXII die XXV mensis Augusti patre Friederico matre Maria e gente Bull in vico Megalopolitano cui est nomen Lueningsdorf. Religionem confiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus adii gymnasium Rostochiense, cui tunc praeerat E. Krause. Anni XCII vere Rostochii litterarum antiquarum studiis me dedidi; post semestria quattuor Gottingam migravi, unde tribus semestribus praeteritis Rostochium reverti. Postquam hac in alma sede doctrinae in seminarium philologicum receptus sum Marpurgum me contuli, ut studia ad finem perducerem. Docuerunt me Schwartz, de Arnim, Koerte, Schirrmacher, Bethe, de Wilamovitz-Moellendorf, Leo, Weiland, Baumann, Birt, Maass, Niese, Judeich, Natorp, Koester, Kretzschmer, Schroeder. Quos viros doctos omnes optime de me meritos esse profiteor; prae ceteris Birtii et Maassii memoriam grato semper colam animo.